DE

POETIS LATINO-POLONIS

HANC THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

PROPONEBAT

R. LAVOLLÉE

PARISIIS

APUD DIDIER, BIBLIOPOLAM

35, QUAI DES AUGUSTINS, 35

M. DCCC. LXIX

DE

POETIS LATINO-POLONIS

IMPRIMERIE L. TOINON ET C^o, A SAINT-GERMAIN.

DE

POETIS LATINO-POLONIS

HANC THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

PROPONEBAT

R. LAVOLLÉE

PARISIIS

APUD DIDIER, BIBLIOPOLAM

35, QUAI DES AUGUSTINS, 35

M. DCCC. LXIX

DE

POETIS LATINO-POLONIS

PROŒMIUM

Incipienti mihi hanc qualemcunque Latino-Polonicæ poësis adumbrationem liceat primùm paucis exponere quæ causa fuerit cur opus tantâ rerum varietate tantoque temporum lapsu laboriosum aggrederer, quid tam insuetam inire viam impulerit. Nempè, quùm, abhinc sex annis, ad novissimos Poloniæ resurgentis nisus Europa anxia et fremens penderet, memini quàm admirabili eloquentiæ flumine, quanto indignationis æstu, hosce Sorbonæ intrà muros, Polonicæ gentis patrocinium susceperit ille audientibus acceptissimus gallicæ poësis professor, vir justitiæ assertor pervicax et facundus. Audire etiamnunc mihi videor subitam illam, brevem et fervidam orationem, quâ populi insontis supplicium velut antè oculos posuit et adstantium juvenum animos miseratione odioque succendit. Mox vero, ubi mens defervit et mecum reputavi quarè in

Poloniæ defensionem vir quivis egregius constanter erumperet, succurrit id esse litteris peculiare et quasi proprium ut miseris opem ferant et impotentes suî tyrannos impavidæ aggrediantur, ita ut quodam divino numine constitutum sit virtutem, humani generis charitatem, patriæ libertatisque studium, quidquid deniquè magni claris viris et populis inest, à litteris non separari. Venit enim mihi in mentem tot antiquarum civitatum, quæ, si priscis credimus historicis, Apolline Musisque faventibus creverunt, et quas, poëtis ad fortia facta civium animos erigentibus, litteræ foverunt, illustraverunt posterisque in æternum commendavêre. Quod Poloniæ nè ipsius exemplo confirmaretur explorare decrevi, et esse quidem ut opinatus eram, brèvî compertum habui. Nec mirum. Quis enim credat gentem omnibus ingenii fortunæque dotibus quondam insignem poëticâ laude caruisse et sibi carmina vindicare non posse, fortitudinis incitamenta et præmia? Fuit, fuit illud tempus, quo, dùm finitimi populi egestate, dissidiis et ignorantiâ laborarent, jam potens et exculta floreret Polonia et Europam virtute suâ, insuperabili ceu objice, adversùs ingruentem Turcicæ barbariæ molem tueretur. Adfuêre tunc, non invitâ Minervâ, vates, quibus, ut Polonos decet, amorem, patriam, bellum fidemque christianam canere cordi fuit et cives modo inter se dissidentes placare, modo torpentes excitare. Hisce autem poëtis insigne quidem et commune fuit ut, patriæ linguæ velut immemores, latinè scriberent, et, Vistulæ ad ripas, Dacarum Getarumque sub finibus, antiquum romanæ Musæ decus pœnè renova-

rent. Quibus vero temporibus primùm latino sermoni studere Poloni inceperint, quo profecerint auspice, quid eis obstiterit, qui denique poëtæ Latino-Poloni exstiterint, breviter et pro viribus exponere, si per judices licuerit, incipiam[1].

I

Devictum armorum vi terrarum orbem Roma coloniis suum fecit, quas non modo in Italiâ cæterisque gentibus Mediterraneo mari finitimis constituit, verùm etiam trans Alpes rudibus et ignotis populis immisit, romano imperio pro præsidiis propugnaculisque futuras. Omissis enim tot et tantis urbibus, quas in Galliâ, Iberiâ, Africâ, Illyriâ, et Italiâ latini condidêre coloni, quis nescit Pannones, Dacas, Mœsos cæterosque populos quotquot Istri ripas accolunt, primùm à Romanis humanitatem edoctos, longè post eversum imperium, victorum præcepta servavisse, et Romanos, licet antiqua Roma jam non esset, constanter permansisse? Usos latino sermone, vestitu, cultu vicinarum gentium exemplum à priscis moribus non deterruit, et

1. Debitas hoc loco Principi Czartoryski grates persolvere devotissimè mihi liceat, ob insignem præstitam benevolentiam et lautissimæ bibliothecæ reconditos thesauros, è quibus hoc totum, quodcunque sit, opus profectum est.

eos etiamnunc dicas præsenti quâdam Trajani imperatoris memoriâ teneri[1].

Polonis aliter cessit : quippè quos Carpathii montis objice et inclementi cœlo defensos romanæ legiones non modo non subegêre, sed nè attigêre quidem, barbaræque ipsæ gentes, quæ, Româ labente, totam Europam invaserunt, agro tamen patrio non pepulêre. Regionem enim illam quæ ab Odero ad Duinam et à Baltico sinu ad Istrum porrigitur, jam quarto à Christo sæculo, incolebant pastores, ab antiquis Sauromatis orti, quibus hæc una vita fuit pecora pascere, immensamve incultorum agrorum planitiem plaustris peragrare aut bello finitimos populos ipsasque congeneres gentes exercere. Poëtas Polonis, vel hoc tempore, non defuisse compertum est, moribus quidem suorum accommodatos, qui, ut inter rudes litterarumque ignaros viros fieri solet, prima carmina sermone vulgari decantanda composuerunt. Solebant enim pagani Poloni modo rusticas nuptias cantilenis celebrare, quæ recitari etiamnunc dicuntur, modo, sub vespere, circà

1. Testantur, apud Valachos, urbium virorumque nomina latinè sonantia, testatur villicorum habitus ab antiquo Latinorum cultu non adeò dissimilis, testatur deniquè animus vicinis Slavis infensus. Neque hanc omittam professorum doctorumque virorum factionem, quæ in cœtibus senatuque palàm versatur et vulgò dicitur, à præcipui oratoris nomine, *Barnoutz*. Cui si credas, Valachos Romanorum nepotes et, ut ita dicam, hæredes esse putes, quos proavorum memoriam claris factis adæquare et moribus præsenti sæculo quasi reddere deceat : induenda igitur iterùm, licet sub alio Jove, Romanorum vestimenta, prætextas togas, leves tunicas et pepla pellucida ; mancipia rursùs in servitutem redigenda; redeundum ad fori controversias; quin ipsos paganorum Deos in avita templa, deturbatâ Christi imagine, restituendos.

ignem canentes saltare, modo hibernarum excubiarum tædium bellicis solari canticis(1). Carminum autem studium quantum tunc fuerit, hoc ipsum ostendit luctuosum insuetumque silentium quod veterum annalium scriptores, obortâ aliquâ publicâ calamitate, servatum notant : nempè, fabuloso illo rege Popielo exstincto, quem, quùm ambitione exagitatus propinquos suos proditione necavisset, subitâ vi murium cadaveribus erumpente dilaniatum ferunt, hoc gens Polonica insigne luctûs documentum dedisse dicitur ut repentè cantitare desierit. « Nullus citharæ sonus audiebatur in tabernis, » nulla cantilena puellaris, nulla vox lætitiæ resonabat » in plateis[2]. »

Carmina autem illa slavicâ linguâ conscripta qualia tunc fuerint, è fragmentis dijudicari potest, quæ, ab annalium scriptoribus servata et in latinum versa, singularem quidem tam antiquæ poësis simplicitatem et incomptam, ut ita dicam, testantur rusticitatem. Abjectus sermo, crebræ iterationes, ut in veteribus illis cantilenis adsolet, quæ, per totam Europam eo tempore recitatæ, nomine *complaintes* dicebantur; versusque modo malè sonantes, modo claudi et adeo rudes ut à solutâ oratione vix eos discernas, nisi syllabis consonantibus terni desinerent : quod manifestè indicat eos primùm cantu musicâque pervulgatos. Canunt autem plerumquè imperiti vates illustria viventium heroum vel principum facta, defunctorumve vicem lamentan-

1. Wiszniewski, *Histoire de la littérature polonaise;* Cracovie, Gieszkowski, 1840. 10 volumes in-8, tome Ier, page 201.
2. *Galli chronicorum Libris,* pagina LXXX.

tur, victoriasve à Polonis partas concelebrant, aut etiam aliquando mores satiris increpant[1].

Gentem vero litterarum penitùs ignaram barbaroque more degentem fides christiana, ut cæteros Europæ populos, præceptorum sublimitate latinique sermonis ope, ad humaniorem vitam non facilè quidem deduxit. Primus Polonorum apostolus, Beatus Methodius et ejus

1. Afferre mihi liceat, exempli causâ, carminis fragmentum de slavicâ linguâ in latinam versi, quo regis Boleslai Fortis funus incompositis octonariis deploratur :

« Omnis ætas, omnis sexus, omnis ordo currite,
» Boleslai regis funus condolentes cernite,
» Atque mortem tanti viri simul mecum plangite....
» ... Vos, qui torques portabatis in signum militiæ
» Et qui vestes mutabatis regales *cottidiè* (*sic*),
» Simul omnes resonate : Væ, væ nobis hodiè!
» Vos matronæ, quæ coronas gestabatis aureas
» Et quæ vestes habebatis totas *aurifriseas* (?),
» His exutæ, vestiatis lugubres et laneas.
» Eheu ! eheu ! Boleslave, cur nos pater deseris?
» Deus, talem virum unquàm mori cur permiseris?
» Cur non priùs nobis unam simul mortem dederis?...
» ... Et tu lector! bonæ mentis hæc quæcunque legeris,
» Quæso, motus pietate, lacrimas effuderis,
» Multùm eris inhumanus, nisi mecum fleveris! »

Alio carmine, quod undecimo quoque sæculo ïambis est compositum, laudatur insignis militis virtus ob servatam, in Plocensi pugnâ, regis Casimiri Primi vitam :

« ... Siquidem non de nobilium genere,
» Sed de gregariis militibus,
» Quod benè Casimirus ei restituit in futuro;
» Nam civitatem ei contulit
» Et cùm dignitate inter nobiliores extulit... »

(Vide : *Galli chronicorum Libros*, p. LXXXI, et Paprotii, polonicè *Paprocki*, Equitum Polonorum Armorias, capite cui titulus *De Aquilâ*.)

discipuli [1], quùm in Slavorum innumeras tribus incidissent, communis originis memoriâ inter se conjunctas, patriorumque morum quàm maximè studiosas, hoc inprimis caverunt nè animos superbos et frangi nescios linguæ novitate severioribusque præceptis ab Evangelio deterrerent. Terrestribus igitur expostulationibus prudenter omissis et sacris ritibus slavico sermone celebratis, Christum Dei Filium felicissimè illas gentes edocuerunt Polonosque plurimos, Moraviæ autem plerumquè finitimos, ab idolorum cultu ad Græcam Ecclesiam deduxêre. Christianos tamen primùm nullos nisi plebeïos fuisse constat, ducem vero et primores paganæ religioni addictos pertinaciter permansisse, donec catholica fides, fœminâ juvante, ab Occidente iis illuxerit. Nempè, quùm formâ et animo insignis Bohema puella, regio sanguine orta, nomine autem Dombrowka, undecimo ineunte sæculo, duci Poloniæ Micislæ Primo nupserit, maritum frustrà reluctantem, post tertium annum, eo adduxit ut ad sacri baptismi fontes accederet. Tùm, principis exemplo permoti, priorem cultum abnuere magnates, Jordanoque primo Poloniæ episcopo suadente, Posnensis ducatus, dein Minor Polonia, Silesia Mazoviaque catholicam fidem profiteri. Missi exindè à romano pontifice sacrati episcopi, gente italicâ aut bohemâ [2], qui Polo-

1. De Methodii sacris in Moraviâ itineribus vide doctissimum opus : *Cyrille et Méthode, Étude sur la conversion des Slaves au christianisme*, par Louis Léger, docteur ès-lettres. Paris, Franck, 1868, 1 vol. in-8.

2. Bohemos, si Wiszniewski credimus, cæteris Slavicis gentibus tum doctrinâ longè præstitisse certum est; utpotè qui, nono

nicæ Ecclesiæ præssent propagandamque fidem curarent; missi quoque sacerdotes polonicæ linguæ penitùs ignari; à Micislâ et filio ejus Boleslao, qui primus regium nomen adeptus est, condita monasteria; Beatique Benedicti monachi arcessiti, qui fidem catholicam litterarumque studium per latinam linguam propagarent [1].

Quæ quidem omnia sacerdotibus primùm, favente rege, feliciter cessêre; verùm ubi, Beati Methodii exemplum obliti, gentem indomitam et ferocem non jam suadendo demulcere, sed jubendo subigere tentaverunt, protinùs odia creverunt, in vim et bellum, occasione datâ, mox eruptura. Polonos scilicet, avitorum morum quàm maximè studiosos, agriculturæ deditos, pauperes plerumquè et dominationis impatientes summoperè offendit incauta sacerdotum et præsertim monachorum procacia, quùm, peregrini ideoque suspecti, slavicum sermonem dedignarentur, latinos autem

jam sæculo, elementa vulgò noverint, decimoque sæculo scholam latinæ linguæ ediscendæ condiderint. Rarissimum quidem pro temporum ignorantiâ scientiæ exemplum, quùm, antè decimum sæculum, per totam ferè Europam vix judex princepsve reperiri potuerit qui nomen suum subscribere noverit, Othoque Primus Imperator, quartum et trigesimum agens annum, elementa primùm didicerit.

1. Annis MVIII et MIX, condita ferunt à Boleslao prima Benedictinorum in Polonia monasteria, locis quæ dicuntur Chaumont, seu Lysa-Gora (in Sandomirensi palatinatu), Trzykriekzow et Tyniec. Eodem tempore, institutæ ab episcopis scholæ, in quibus procerum pueri latinè legere psalmosque cantitare docebantur; urbanusque episcopus, gente Romanâ editus, quùm ab Italiâ sacratus Szmogorziensis episcopus in Poloniam venerit, latinos libros manuscriptos secum attulit et scholam, omnium antiquissimam, condidit, in quâ scholasticam primus professus est.

ritus, latinam linguam invitis frustràque reluctantibus imponere aggrederentur, vetera pagani cultûs monumenta destrui juberent, decumasque insuper duriùs exigerent. Exstincto igitur rege Micislâ (A. D. MXXXVII), quùm uxorem Ryxam reginam, Casimiri Primi tutricem, propter germanicam originem et animi muliebrem impotentiam Poloni magnates regno pepulissent, sacerdotes quoque infensos sibi populoque invisos exulare jusserunt et christianam fidem ipsam frequentes ejuraverunt [1]. Orta deindè diuturna gravissimaque tempestas, quùm, rege pulso et plurimis principibus de regno decertantibus, civile bellum religiosis dissensionibus exacerbaretur, hinc nobiles inter se inclementer pugnarent, illinc sacerdotes vix propriæ saluti consulere, nedùm discordes animos placare valerent, rusticique, longiores injurias ulti, ferro et incendio omnia vastarent. Quo tandem ægrè à Casimiro, post vigesimum annum, sedato tumultu, christianam fidem ictu gravissimo conflictatam et litterarum monumenta eversa fuisse compertum est. Rex autem omnium maximè clemens ac pius Casimirus, quùm in exilio puer Brunovilliers et Leodio à Benedictinis educatus esset, totiusque Poloniæ consensu revocatus,

1. « Nonnulli siquidem nobiles Poloniæ, Satanâ suggerente, onero-
» sam decumarum manipularium solutionem, onerosos christianæ
» religionis ritus ducentes, hi præsertim qui in spurcitiis gentili-
» tatis nutriti jugum orthodoxum non facilè tolerabant, ad ritus
» redire prophanos et vetustam sacrilegamque vitam resumere,
» et decimas tempore instituto non reddere, nec Ecclesias fre-
» quentare, ministrosque et sacerdotes de eorum ecclesiis pellere
» frequenti conspiratione disponebant. » (Vide Dlugossi, *Historiam Poloniæ*, libro II, p. CLXXI.)

hoc inprimis curavit ut catholicam fidem, exclusis iis quæ malè gesta fuerant, instauraret litterasque tandem suis commendaret, Poloniæ altrices futuras et educatrices. Voti tamen non omnino compos fuit : religionem quidem, moderatâ decumarum exactione et episcopis plerumquè Polonis electis, in pristinam dignitatem brevì restituit et suorum animis adeo gratam fecit ut jam nullâ vi, nullo casu ad hanc diem labefactari potuerit. Litteras vero Poloniâ, ut ita dicam, extorres, quis refovere valuerit, quùm undiquè elanguerent? Duobus enim sæculis, undecimo scilicet et duodecimo, ii fuerunt Europæ motus, eæ bellorum vastationes ut jam Musis non esset locus et homines nihil nisi cædem spirarent; decimo autem et tertio, quùm ingenia sacris bellis velut à diuturno torpore excitata reviviscere quodammodo viderentur, adeo præpotenti dominatu Ecclesia tenebat omnia, ut nihil legeretur, imo nihil attentiùs scriberetur quod non ad theologicas quæstiones et controversias spectaret. Poloniam communi morbo laborantem civilia primùm bella, scholasticæ deinceps argutiolæ à merâ antiquitate deduxerant; recentior latinitas, omissis prioribus exemplis, omnia invaserat; dùm de doctrinâ Patrum, de canonibus, commentariis et glossariis disputabatur, oblivione condita jacebant et latinæ et græcæ linguæ miracula; quin ipsæ in pejùs vergebant jurisprudentia, philosophia et medicina; necdùm, ut in cæteris Europæ partibus, antiquarum damno gentilitiæ saltem crescebant litteræ. Nequidquàm Casimirus Secundus, duodecimi jam sub finem sæculi, doctrinam omnibus adhortamentis proprio-

que exemplo fovere instituit : quippe qui, litterarum quàm maximè studiosus, doctorum commercio libens uteretur, vitas Patrum et illustrium virorum legi sibi frequenter juberet, historiam Poloniæ ineundam Kadlubecio [1] mandaret et ipse latina carmina ad citharæ sonum recitaret. Ea vero fuit latinæ poësis oblivio ut nè regio quidem exemplo in pristinam dignitatem tunc restitui potuerit. Non tamen quod hoc tempore deessent qui latinos versus componere aggrederentur; omine autem quàm infausto, vix fari, Apollinis pace, audeam. Duri et incompti claudive plerumque versus, barbarus sermo, longissimi verborum circuitus. Publicè autem, ut ita dicam, latina prostabat Musa, quùm jam nihil curaret ex iis quæ ad intima mentis spectant, nihil ab ipso poëta inventum caneret; verùm, epitaphia scenicosve dialogos scriptitando, popularem gratiam aucuparetur, facta jam penitùs plebeïa.

Scenicis autem ludis apud Polonos eamdem originem fuisse compertum est, quæ et in Occidente *sotiis* atque *mysteriis*, et, apud Græcos, antiquæ tragœdiæ. Slavis enim et Pomeranis, dùm pagana numina coluerunt, hoc moris fuit ut, festis quibusque diebus, fabulas gestibus expressas celebrarent. Bohemi agricolæ, si Kosmæ credimus, multo post christianam fidem acceptam, propè fontes et in silvas quæ pro sepulcris habebantur, dona Diis inferre frequentes

1. Primus Polonorum omnium inter Cistercienses fratres Kadlubecius adscriptus est, quùm cæteri conventus Polonos diutiùs repellerent, de quo, vel quinto decimo sæculo, justæ sunt habitæ querimoniæ.

solebant, præcipuè tertiâ et quartâ post Pascha dominicâ die. Defunctis etiam parentibus, antequàm humo cadavera tegerentur, personati per vias et compita fabulas gestibus agere lugubresque cantus edere properabant, sperantes scilicet mortuorum animis allevamentum indè venturum. At, quùm hunc morem Eclesia sæpenumero damnaret neque tamen funditùs abolere valeret, factum est ut paulisper, Hierosolymitanorum bellorum et peregrinationum nomine, sacerdotibus ipsis auspicibus, plebs sibi dilectam inprimis scenicorum ludorum oblectationem compararet. Nempè, quùm, sacras imagines petasis præferentes, longisque palliis amicti quæ circùm serpentium pellibus distincta fulgebant, peregrinantes Româ, Loretâ aut Compostellâ in Poloniam redirent, subito concursu facto, antè ecclesiæ fores aut in cœmeteriis sedentes, peregrinationis primùm vices et miracula, dein Domini Passionem Beatæque Virginis Mariæ vitam narrare consueverant; mox, ubi spectantium frequentior cœtus factus esset, asse dato fulcris erigi, utriculo turbam ciere, gestus agere et in modum dialogi verba contexere. Hoc ludis scenicis initium fuisse haud dubium est; quos tamen breviter à sacris ad profana delapsos atque etiam in templis habitos summi pontifices rursùs carpere non dubitaverunt[1]. Infeliciter quidem : crevit

1. Millesimum et ducentesimum circiter annum, quùm summus pontifex Innocens III Henrico Gneznensi archiepiscopo scriberet, ludorum in Poloniâ licentiam his verbis increpuit : « Quod autem » interdùm ludi fiunt in Ecclesiis theatrales et non solùm ad ludibriorum spectacula introducuntur in eis monstra larvarum, » verùm etiam in aliquot festivitatibus diaconi, presbyteri, subdia-

enim in dies dialogorum studium, et hoc brevi factum est ut popularem quemlibet eventum modo vulgari sermone in compitis, modo latino in aulis aut monasteriis subiti poëtæ concelebrarent. Poloni quoque, hujusce temporis auctorum communi exemplo usi, conceptas ingenio notiones corpore, ut ita dicam, induere, imo voce donare soliti sunt, ita ut Virtus, Honor, Pietas, Vitium et cætera ejusmodi scenam ingredi viderentur. Testatur hoc fragmentum fabulæ, quæ, post obitum regis Casimiri Justi (A. D. MCICIV), à primoribus regni fertur celebrata. Prodibant simul in scenam Jucunditas, Mœror, Libertas, Justitia et Prudentia, quæ, defunctum regem collaudantes, se invicem solabantur. Jucunditas primùm, questa quod sibi comes Mœror, tam egregio extincto rege, datus fuerit, his adstantes verbis alloquebatur :

« Non est pudor pro dolore,
» Sed est dolor pro pudore,
» Nili acrimoniâ.
» Mœrens queror de Mœrore,
» Qui de meo serta flore
» Nectit tam funebria.
» Eram nupta plùs quam Regi,
» Quem præfovi, quem prælegi,
» Regum super millia.
» Hoc adacto mortis legi,
» Ejus nece mox impegi
» Necis infortunia.....

MŒROR.

« Causæ causas aucupari,
» Litem lite contestari,

» coni insaniæ suæ ludibria exercere præsumunt. » (Vide Browski, *Historia Ecclesiastica*, p. CXLIV.)

» Juris est injuria.
» Temet nostro sponte lari,
» Cur sic infers? cur vulgari
» Strepis impudentiâ?
» Foves planctum, foves luctum,
» Fletum, quæso, ob quem fructum,
» Lambunt nocticinia?
» Cum his ducis aquæ ductum,
» Cum his blandum scis deductum
» Carpere per invia.

JUCUNDITAS AD LIBERTATEM.

« En Libertas! eccè soror!
» Quibus arris fundat horror,
» Pacta sponsalitia.
» Sic suadeor, sic exploror,
» His persuasa ut quid moror,
» Probris ad opprobria.

LIBERTAS.

« ... Flet honestas, flet pietas,
» Flet virtutum societas,
» Omnis in angariâ.
» Sexus omnis, omnis ætas,
» Rebus lætis fixit metas,
» Citrà conterminia..... »

Hæc et talia inter se disserentibus effluunt sexcenti versus, numeris et desinentibus syllabis similes[1], mendoso sermone barbarisque verbis obscuri adeo ut vix intelligi queant et nullâ re nisi tædio pœnè somnifero sint insignes.

Epitaphia non multùm scenicis dialogis dissimilia dicam, aliquando tamen stylo metrisque potiora, ut ex eo dijudicare licet quod, Hedvigis reginæ memoriæ conscriptum, anno circiter MCCCIC, conjunctam

1. Ad imitationem sacri cantici cui titulus : *Stabat Mater*.

ejus ope Poloniæ Lithuaniam et conversos fidei christianæ Lithuanos rudibus quidem et incomptis distichis, ab omni tamen poëtico afflatu non alienis, commemorat :

« Hoc jacet Hedvigis tumulo Regina, Poloni
» Quæ merito regni nobile sidus erat.
» Hæres Pannoniæ quondam felicis, iniquum
» Cùm nondùm ferret Cæsaris acta jugum,
» Exstitit hæc quondam Ludovici clara propago,
» Qui rex Pannoniæ Sarmatiæque fuit.
» Cujus in amplexum veniens Jagyello decorum,
» Dux Lithuanorum Sauromatumque fuit.
» Hedvigis thalamo junxit dua regna pudico,
» Copula Lithuanis facta Getisque simul.
» Hæc quoque serpentes, ignem silvasque colentes
» Duxit ad immensi numina magna Dei.
» Se ratione gerens magnorum ex more virorum,
» Subdita pœnè sibi; fastu abeunte, fuit.
» Improba fortè aliquos si quando pressit egestas,
» Hunc largâ semper sustulit ipsa manu.....
» Civibus hæc tutrix mitissima, gratia dives,
» His, qui fulgebant nobilitate, viris.....
» Propterea est populi multùm celebrata per ora,
» Inclyta nil virtus, nil sua facta negant.
» Hâc faciente, viget quæ nunc Academia doctis
» Fundamen cœpit principiumque suum.
» Advocat hæc doctos peregrinâ è sede magistros,
» Colligit et celebres quâlibet arte viros.
» Præmia lectori dat sufficientia docto,
» Sic clarum spargit nomen in urbe suum.....
» Heu! quantos populo lux attulit illa dolores,
» Quâ regina solo transit ad astra ruens!.....
» Dives pauperibus spes est sublata salutis,
» Solamenque viris abstulit atra dies.
» Plangite nunc miseri, quibus est fortuna sinistra,
» Occidit heu! vestræ spesque salusque rei.
» Quod priùs ingenti sidus splendore micabat
» Reginale, carens eccè nitore fugit.
» Scilicet humanæ texuntur stamina vitæ,
» Atque retexuntur, fata ubi dira volunt.

» Credo equidem fatis Reginam ad tecta vocatam
» Splendida *Divûm*, quos summus *Olympus* habet.
» At vos, quos nondùm triplices rapuêre sorores,
» Reginam votis, oro, juvate piis,
» Quam tu, summe Deus, nostræ spes una salutis,
» Participem regni fac, precor, esse tui.
» Amen [1] .... »

Latinam poësim apud Polonos hoc tempore publicis rebus frequenter admistam ostendunt non solùm hæc quæ suprà leguntur epitaphiorum fabularumve fragmenta, verùm etiam carmina ad instar chronicorum librorum composita, quibus victoriarum à Polonis partarum memoria posteris commendabatur. Hujusce modi versus parietibus castelli Ladislai Jagellonis Cracoviæ insculptos, ineunte quintodecimo sæculo, ferunt,

1. Wiszniewski, *Histoire de la littérature polonaise*, tome Ier, page 442. Aliud in ejusdem reginæ memoriam compositum epitaphium omisi; quippè quod barbaris dissonisque verbis adeo refertum sit ut vix hexametrorum modus agnosci possit, et in dubio sit utrum distichis an ïambelegiacis alcaïcisve majoribus poëta uti intenderit. Quod quidem partim scribentis ignorantiæ, partim typographorum erroribus adscribendum censeo. Extremos tantùm versus hic afferam, tùm quod mendis minùs scatent, tùm quia in his Paradisi quædam mira legitur descriptio, ex quâ facilè quis dijudicet quàm paganè et, ut ita dicam, turcicè Beatorum sedem hoc tempore sibi Christiani finxerint :

» ..... O Rex Polonorum, Reginam hanc Polonorum
» *Suscipe locandam in Paradiso tuo* (?),
» Spirat ubi nardus, nascuntur aromata, nectar
» Conficitur, sudant balsama, mella fluunt,
» Dulcia mella fluunt, resonant harmonia, cantus,
» Pellitur undè fames, tollitur undè calor.
» Odor ubi fragrat, rosa *pullulat, scaturit* amnis (?)
» Ver ubi, non glacies, non ubi regnat hyems.
» Amen. »

(Vide Wiszniewski, loco citato.)

quorum vestigia, novissimis etiam annis, agnosci poterant. Quibus versibus ïambicis summoperè quidem rudibus et incomptis, ac verè lapideis, narrabatur reportata à Ladislao de Teutonicis equitibus Tanneburgensis victoria, A. D. MIDX :

« Anno milleno quadragintesimo Deno,
» Sub mensis Julii quintadecimâ quâ
» Infrà missarum solempnia peracta die
» *Divisionis que luxerat appostolorum illis*, *(sic)*
» Eccè præstantuosa pomposa turba virorum,
» Crucifigulorum permixta nam Prutenorum,
» Progreditur, armis spem totam ponit in,
» Spreto Deo cœli, jurant variè suæ (?)......
» Victoriam retinet primus omnino triumphus,
» Altissimique consilio fit freta Domini.
» Mittit legatos nudos gladios quoque binos,
» Crucifigerum auxilium ut teneat nimium,
» Ut quid loci eligat rex quod pugnæ placeret,
» Monet, instat turba superba minis,
» Spernens omnino treugam, federa, pacem,
» Quas rex et ex tunc dare paratus erat.
» Eccè Polonorum Vladislaus Rex, qui suorum,
» Ut propheta David olim Goliam superavit,
» Receptis gladiis nudis binis sibi missis,
» Quam sibi placuerit quo *pugne* (*sic*) lucta patrabit,
» Hortatur suos cunctos dominosque....
» An gens irritè..... inimica nimis....,
» ..... Ad pugnam contempnet federa, pacem,
» In nomine Domini precibus sancti Stanislai,
» Armis *justicie* (*sic*) confortati procedimus,
» Nam presumptuosa.... hec cruciferorum....
» Collocârat aciem licet in locis elevatis,
» Montanis ut sit cujus ima premat,
» Cerne Deus mitis quid fecerit huc....
» Congressum igitur .... hortantibus illis,
» Eccè repentinam dat gens....
» Crucifigulorum pariter cernuntque suorum ruinam,
» *Sept quatdenis* (?) cohortillis superatis eorum,
» In campo Thymburg corruit princeps,

» Publicus qualis magister terræ generalis Mariamburg,
» Sic homo qui timuit primus....
» In campo Grinphet gladio præstrinctus....
» Prostrati quorum millia permulta virorum.
» Atque cunctorum ducem Marsaleus eorum,
» Propter captivos duces milites que, cives
» Atque pruthenos incolas innumeros,
» Sed que (*sic*) pugnabat prius hec hostes superabat,
» .... Duodena fuit quam Deus....
» Quidam steterunt, alii fugam tenuerunt.
» Sola Dei bonitas, sed non humana pietas
» Texuit hanc spem belli præbuit que triumphum
» Regni, coronam peperit *turme* que *polone* (*sic*);
» Ergò surgas, laudes Domino referas,
» Te Deum laudamus, te que Dominum profitemur,
» Laus et honor tibi sit Rex, Christe Redemptor (1)! »

Hæc et talia scribentibus, latina poësis nondùm inventa erat, quippè quibus deessent et patriæ latè patentis canendæ laudes, et puriora latini sermonis exemplaria. Sed, quintodecimo sæculo, quùm hinc adnexus Lithuaniæ ducatus Poloniam, ut ita dicam, duplicatam in amplissimi regni dignitatem extolleret, illinc autem, capto Byzantio, ripas Istri populabundi Turcæ pervagarentur, et Poloniam totius Europæ propugnaculum expugnarent, Græcique, barbarorum impetum fugientes, apud Polonos ut in cæteris Europæ partibus, asylum sibi quærerent, litterarum et elegantiarum omnium futuri doctores, tùm subito inter Sauromatas quemdam ingenii florem aperiri videas et exstare viros qui renascentes undiquè litteras felicissimè doceant et

1. Versus ii in secretis Konisbergæ tabulariis asservantur, hâc notulâ additâ : « *Ista metro sunt de lite Pruthenorum et sunt conscripta in castro Cracoviæ ad memoriam illius litis.* » (Vide Voigt, Geschichte Preussens. VII, 99.)

excolant. Præcipuos commemorare satis : Stanislaum Cyolek, natum A. D. MIDXXVIII, Posnensem episcopum, antiquorum carminum accuratissimum servatorem eumdemque latinè scribendo non infeliciter studentem[1]; Adamum Swinka, unum è Cracoviensis ecclesiæ cathedralis canonicis, acceptum Ladislao Jagelloni et uxori ejus Hedvigi poëtam[2]; Gregorium Sanoccium adeo litteris deditum ut poëtarum studium juvenum ingeniis non minùs necessarium quàm cibum corporibus diceret, et artem poëticam tam magni facientem ut opera sua parcissimè amicis communicaret atque etiam aliquando quasi pudibundus abderet, licet elegidia, epitaphia et epigrammata quàm plurima conscripsisset[3]. Cæterorum ejusdem temporis latinorum

1. « Hic, cùm poëticæ rei inprimis faveret studio, non antiquissima solùm, quibus, more institutoque veterum, res à Polonis strenuè, fortiter, prudenter, feliciterque gestæ continebantur, carmina sepulcris suis et profundissimis tenebris in dias luminis auras produxit, sed et sponte ingenio elaboravit. Hymnos, ob egregiam rerum gravitatem et nativam sermonis elegantiam mirificè extollit. » (Leutschovius, Antiquitates Poloniæ.) Stanislai Cyolek opera omnia desiderantur.

2. Vide Dlugosz et Paprocki (de Polonorum Equitum armoriis, paginâ CCCCLIX.) Ex hujus autoris operibus supersunt tantùm versus Zawiszæ Nigri laudi dicati et epitaphium in memoriam Hedvigis filiæ Ladislai Jagellonis compositum, quod si perlegas, nonnunquàm Swinkam credas ad imitationem se contulisse suprascripti epitaphii quo majoris Hedvigis fatum deploratur.

3. Epicedium de Ladislai Jagellonis Poloniæ regis et supremi Lithuaniæ ducis obitu elegis deditum. 2. Epitaphium Sophiæ reginæ Poloniæ, carmine elegiaco. 3. Elegidion quod Fr. Gabrielis ex ordine minorum Agriensis tunc in Hungariâ Episcopi, elegis invectivis contrà gentem Polonorum in vulgus sparsis, à Gregorio Sanocco Archiep. Leopol. oppositum fuit. — Sanocci poëtica opera in unum collecta, hoc titulo : « *Reverendi Patris Domini*

poëtarum nomina tantùm commemorare licet : Beatum scilicet Casimirum, Beatæ Virginis pium constantemque collaudatorem; Nicolaum Kotwitz, Sascrovicium, Joannem ab Oswiecin, Corvinum Cracoviæ decantatorem, Conradum deniquè Celtem uberrimas Vistulæ ripas carmine huic flumini dicato celebrantem.

II

Duodecimo natam sæculo lentissimèque crescentem Latino-Polonicam poësim postquàm commemoravi, jam restat ut florentem vigentemque attentiùs describam. Latinæ enim poësi, ut in cæteris Europæ partibus, ita in Poloniâ, sextum et decimum felicissimum quidem ac pœnè aureum fuisse sæculum haud immerito dicatur. Nec mirum, quùm recentissimè repertis, excultis et in novam lucem per typos editis antiquorum poëtarum carminibus, jam antè oculos quotidiè versarentur græca et latina exemplaria, omni laude, omni admiratione digna,

« Nocturnâ versanda manu, versanda diurnâ. »

Quid tùm de scholasticis argutiolis? quid de controversiarum disputationumque tenebris, quùm hinc picturæ sculpturæque miracula animos suprà terram

Gregorii à Sanocco Archiepiscopi Leopoliensis orationes, epistolæ et carmina, » manuscripta in cathedralis Leopoliensis ecclesiæ sacrario diù servata novissimis temporibus destructa fuisse creduntur.

eveherent et ingenuarum artium acerrimo studio velut inflammarent, illinc autem redditæ luci Musarum deliciæ græcam latinamve urbanitatem restituerent doctosque viros, priscis temporibus veluti reviviscentes, paganorum studio carminum raperent? Polonos, ob acutum promptumque ad nova quælibet ingenium, ad antiquitatis imitationem se subito et felicissimè contulisse certum est. Quin etiam eo tempore frequenter in Italiam migrabantur regni primores, litteris in Academiâ Bononiensi vel Patavinâ operam impensuri et non nisi latinè loqui assuescebant[1]. Tradunt latinæ linguæ studium tùm adeo crevisse ut jam eâ colloqui pœnè vulgare factum sit. Critius, Præmislensis episcopus[2], distichis latinis alternantibus, dùm cœnabat, cùm Italo Gundelio colloqui consueverat. Niegoscievius[3] Italos invitare solebat, quibuscum de aristotelicâ philosophiâ, de scholasticâ theologiâ, imo de mathematicis versibus dissereret. Quin et in senatu aut cum exterarum gentium legatis latinè loquebatur; latino sermone senatûs decreta, privilegia, diplomatica mandata publicæque epistolæ scribebantur, ita ut jam nullam rem nisi humillimam polonicè tractare fas fuerit. Exempli causâ, malè tulisse Poloni dicuntur Sigis-

1. Polonis nobilibus ab illo tempore in modum venisse dicitur ut jam non nativo sermone, verùm antiquâ aut alienigenâ linguâ uterentur : latinâ scilicet primùm, italicâ deindè et hispanicâ, gallicâ exindè, quùm Ludovico XIV auspice floreret, anglicâ vero, octavi decimi sæculi ad occasum, novissimè germanicâ, aliquando et arabicâ, potissimè tamen polonicâ, ob ipsos patriæ casus dulciùs sonante.

2. Polonicè Krzycki, évêque de Przemisl.

3. Polonicè Niegoszewski.

mundi Primi funebre encomium à Maciejovio[1] episcopo nativo sermone compositum[2]. Poloniæ vero reges nullam non impendisse operam traduntur, si quando viros antiquitatis peritos doctrinâque insignes arcessere valerent, quibus Cracoviam Varsaviamvè migrantibus, litterarum patrocinium commune jam Polonis Italisque principibus factum fuisset. Quàm perseveranter Muretum, Sigonium, Ursinum, Aquarium et alios non minùs eruditos viros Academiæ Cracoviensi Stephanus Battoreus adscribere voluerit, ex ipsius Mureti constat epistolis[3]. Nec infeliciter

1. Polonicè Maciejowski.

2. Stanislaus Zaborovius (Zaborowski) quùm eodem tempore grammaticum quemdam libellum latinè à se compositum iterùm ederet, hæc præfatione futura præsumebat : « Video multos hoc » nostro opusculo adjutos, haud parùm in brevi (licet enim vera » loqui) politioribus litteris promovisse, adeo ut confidant fore, » idque etiam in paucis admodùm annis, ut non in Rhenum modo, » quod Picus dixerat, sed etiam in Vistulam Tiberis fluxisse merito » feratur, neque vel Germanis, vel Italis ipsis in utriusque sermonis » cognitione Poloniæ juventus cedat. »

3. Vide Mureti epistolam LXVI, libro I, ad Sacratum : «.... Stefanus Poloniæ rex, qui et aliis regiis virtutibus ornatissimus est, » et suprà omnes reges qui multis abhinc sæculis vixerunt eximium habet, quod et amat unicè eruditos, et ipse omni elegantis » doctrinæ genere mirificè excultus est, miserat in Italiam unum è » domesticis suis, qui quasi delectum quemdam haberet præstantium doctrinâ virorum eosque opimis admodùm propositis conditionibus, in Poloniam invitaret, ad Academiam novam, quam » rex Cracoviæ instituere parabat. In mandatis autem regiis, quod » ad alios quidem attinet, facta erat potestas ei qui hùc venerat » optimum quemque et in docendo exercitatissimum eligendi, de » tribus nominatim præscriptum erat, de me, de Carolo Sigonio » et de Fulvio Ursino, eâ de re unus de primoribus illius regni » Joannes Zamoscius litteras ad me peramanter perque honorificè » scriptas dedit. Jam mihi illud sanctitatis et doctrinæ specimen

quidem : quùm summi doctrinâ viri, italicâ gallicâve-gente exorti, licet in Poloniam perpetuo transmigrari abnuerent, remotam illam et extremis sub Europæ finibus quasi sitam regionem frequenter lustrarent latinæque linguæ studium verbis et exemplo foverent. Quod adeo crevisse fama est ut jam non solùm optimates, sed etiam ex infimâ plebe viri atque ipsæ fœminæ ad usum latinæ linguæ se convertere cœperint. Latinè loquebatur Bona regina Sigismundi Primi uxor; latinas marito Barbara Zapolska scribebat epistolas, mox ad id ventum est ut latinam linguam disceret virguncula omnis, seu nobili, seu mediocri edita loco, ipsæque aulæ regiæ ancillæ inter se latinè colloquerentur. Aurigas autem latino sermone usos esse fertur, teste Joanne Przembio, Gnesnensi Archiepiscopo. Quod quidem ita narrat Varsevicius :

« Non possum non meminisse quid Joanni Pzembio,
» Gnesnensi Archiepiscopo, summo illis temporibus
» viro, sed paulo in suos indulgentiori, Sigismundi
» Regis Poloniæ apud Ferdinandum Cœsarem legato,
» Viennæ acciderit, quùm ejus quidam aurigæ præ-
» grandi curru, octo equis junctis, ad secanda ligna
» extrà urbem decessissent, et aut alterius sylvæ
» ignari, aut longius iter veriti, in proximiorem et
» Viennæ magis vicinam sylvam divertissent, quæ
» Imperatoris ipsius non tam usibus quam deliciis ser-
» vabatur. Ex hâc igitur sylvâ, quùm prægrandem
» illum lignis onustum currum Viennæ traherent,

» Stanislaus Cardinalis Varmiensis (Hosius) gratuitam habitatio-
» nem in palatio, quod Cracoviæ habet amplissimum, offerebat. »

» Ferdinandus, ut eos est conspicatus, irâ subito exar-
» sit et aurigas cujusnam essent quæsitum mittere
» et ipse demùm interrogare ipsos non dubitavit. Tùm
» quidem aurigas illos barbaris paucis illis latinis vo-
» culis (si Deó placebant) sapientes, Archiepiscopi
» Gnesnensis legati nati et Regni Poloniæ primatis ac
» apud Cœsaream majestatem Poloniæ regis oratoris
» esse se testati sunt, et *adeo latino sermone Cœsari*
» *respondere non dubitaverunt.* Quo magis re, ut
» fit, in risum versâ, *et quod ipsi etiam aurigæ apud*
» *Polonos latinè loquerentur,* omnibus inter se jocan-
» tibus, jussi tandem impune sunt proficisci[1]. »

Quæ quùm ita fuerint, quis miretur Poloniæ poëtas non defuisse qui se litterarum antiquarum studio penitùs dederint et patriæ laudes fataque modo prospera, modo severiora, necnon fortiter à principibus nobilibusve gesta posteritatis memoriæ tradiderint?

Quorum omnium primus Paulus Crosnensis[2], ineunte sexto decimo sæculo, operam felicissimè navavit ut polonico-latinam poësim altiorem emendatioremque faceret et suos ad latinorum poëtarum Augusti temporibus vigentium et præsertim Maronis imitationem deduceret. Ipse, ingenio doctrinâque insignis, quùm latinæ linguæ ambages versuumque varios modos penitùs noverit, incœpta nova adoriendi et positos ultrà limites excurrendi exemplum suis dedit. Nempè, quùm nemo, ut ita dicam, carmina latina anteà nisi perbrevissima, et in satirarum, elegiarum, epigrammatum-

1. Warszewicki, De legato.
2. Gallicè Paul de Krosna.

ve modum condiderit, ipse, ingenii conscius, ad altiora evolare et læta tristibus miscere animo præsumpsit : elegias scilicet, elato nervosoque stylo insignes, acuta epigrammata cantilenasque non immerito laudatas, non solùm composuit, sed et panegyricos atque epithalamia Polonis principibus dedicavit discipulosque ad inchoandum summum epici carminis laborem constanter est adhortatus [1].

Eo magistro creverunt laudatissimi Polonarum Musarum latini alumni : Joannes scilicet Vislicius [2], Critius[3], Hussovianus Mikolaj et Dantiscus[4].

Pauca de Joanne Vislicio disseram; qui, si Visnievio credimus, emendata quidem et leniter fluentia, nullius tamen veneris carmina historico potiùs quàm epico more conscripsit. Hoc insuper vitium non effugit ut, quùm ad imitationem Maronis se conferret [5], idemque se Divi Stanislai Beatæque Virginis famulum devotissimum esset professus, versus in christianæ fidei laudem compositos paganis fabulis intermisceret et, ut ita dicam, fœdaret. Tribus libris elegisque versibus epicum carmen edidit, quo Prutenum bellum et victoriam Grünwaldensem à Jagellone de Teutonicis equi–

1. Crosnæ opera, plerumquè typis non mandata ideoque omni tempore rarissima, nunc penitùs destructa desiderantur.

2. Gallicè Jean de Wislitza.

3. Polonicè Krzycki.

4. Polonicè Dantiszèk.

5. Testantur subsequentes versus, è multis aliis segregati :

« ..... Nonnè vides bello fratres succumbere nostros,
» *Quadrupedumque sonum ingentem, strepitumque fugamque*
» Cernis, et hostiles nostras superare phalanges
» Et tu aras ac relligionem nunc struis altam.....
» ..... Est mihi nympha Ruthenorum speciosa sub urbe, etc..... »

tibus A. D. MDXVI reportatam celebravit[1]. Multa quoque magistri sui Pauli Crosnensis virtuti extollendæ dicavit opuscula, quibus grati animi reverentiam admirationemque significavit. His versibus à Crosnâ efflagitabat ut epigramma in libellos de Pruteno bello conscriptos conderet :

« Sic tu, Paule, Ruthenorum celebranda virorum
» Gloria, Sarmaticæ famaque barbariæ,
» Clarus es, ingenii clarâ virtute coruscans,
» Quod sevit cerebro Castalis alma tuo.
» Thessalus Æacides hunc tollat et ejus amicus,
» Nobilis ossa soli lausque Petethronii ;
» Dantiscusque tuus tollat te, Suchteniusque,
» Necnon Sarmaticis Crosna Ruthena locis.
» Ille duobus erat clarus, tribus ipse nitescis
» Discipulis : quorum tertius esse velim,
» Et multis aliis Helicona volentibus altum
» Scandere.... »

Cui contrà Crosna[2] :

1. Teutonicorum equitum fugam cladem que ita describit :

« ..... Extemplo terror percussit corda magistri
» Atque ducum germanorum per mœsta cucurrit
» Pectora, frigidulos artus et pallida fecit
» Ora viris, turpem resonans spem in cordibus ipsis
» Arte fugæ celeris vitæ reparare salutem.
» Quisque suos hortatur equos germanus et optat
» Currere ; sed vallatus ab omni parte Polonûm
» Agminibus, nec non nomadum nequit ille ferorum.....
» ..... Hinc atque hinc divertit sese et volvit ad omnes
» Partes ; tum meditatur opem conferre saluti
» Posse suæ ; velut, umbrosâ de valle, molossis
» Cervus, et ipsa sequens canibus perterrita turba
» Currere in aërios colles nemorumque latebras
» Gestit, per dumos, sentes et opaca viarum,
» Casûs mortiferi metuens discrimina nulla ;
» Sic etiam germana phalanx perterrita strage..... »

2. Crosna ad Joannem Vislicium Pieridum cultorem, discipulum non pœnitentûm.

« Gratulor ingenio, quod, me impulsore, novenas
» Cœperit ardenti pectore adire Deas.
» Bellorophontæi tibi jam scaturire caballi
» Incipit irriguis fons memorandus aquis,
» Et Parnassiaco tibi jam revirescere monte
» Gaudet Daphnæis Delphica sylva comis,
» Castalides que tibi parili certamine Divæ
» Virgineâ texunt laurea serta manu...
» Nec te proposito disterreat ulla benigno
» Cura, sed incœptâ dispatiare viâ.
» Nam, licet accessus primis videatur acerbus,
» Usu redduntur mollia cuncta suo.
» Sic durum miro ferrum splendore nitescit,
» Argentique nitens cedit ad usque decus.
» Sic parva *uridulas* scintilla inflammat aristas,
» Sic fuligo amplas concremat atra domos;
» Sed tua nè tenui lassentur lumina nervo,
» Scriptaque sint stomacho displicitura tuo. »

Præstantior Hussovianus Mikolaj poëta dicitur : qui, licet pauper et ægrotus lectulo pœnè continuo jaceret miseramque juventam immaturo senio traheret, carmina maximè pia latinèque sonantia, sermoni tamen aliquando propiora, invitis medicis, composuit. Præcipuum suum opus et primum reginæ Bonæ Mediolanensi, Sigismundi Primi uxori, dedicavit, quo mores et venationem Bisontis in Poloniæ silvis abditi descripsit. Beati Hyacinthi vitam dùm commemorat, sæpè in proprii casûs deplorationem lamentaque et preces excurrit, eo laudabilior poëta quo majoribus vexatur molestiis :

« Hinc animam peccata gravant, hinc effera corpus
» Vis onerat morbi; brevis est jactura secundi.
» Sed, vir sancte, tibi sim commendatus utroque,
» Disparibus votis. Nam, si nocitura videtur
» Alternis quæsita salus, hâc parte dolores,
» Quæ, quamvis valeat, cito sit peritura, recumbant,

» Illud fortunæ quævis tormenta fatigent.
» Si tamen absque gravi damno res utraque possit
» Robur habere suum, sub conditione vocatus
» Profer opem precibus lapsos in corporis artus,
» Ærumnasque meas cœlesti comprime nutu. »

Andreas Critius, tùm ingenio, doctrinâ et amantissimo patriæ animo, tùm itinerum varietate summâque regis benevolentiâ insignis hoc peculiare et quasi proprium habuit ut Musas non vitæ magistras, sed tantùm comites sibi sumeret. Nempè, quùm, in Cracoviensi Palatinatu, pago Krzyck, undè nomen tulit, natus, prima litterarum elementa in Academiâ Cracoviensi, episcopi Tomicii[1] patruelis sui impensis, didicerit, Lutetiam adolescentulus migravit, exteris indulgens linguis; paulo post Bononiensis Academiæ alumnus factus, Antonio Urceo magistro, juri canonico civilique ediscendo navavit operam latinæque linguæ summâ animi contentione summâque voluptate studuit, scholasticarum nugarum aspernator, et id unicè petens ut altas acutasque sententias animo excogitatas arte sermonis adæquaret. Indè in patriam reversus, Lubrantio[2] Posnensi episcopo, Polonoque, ita dicam, Mæcenati, antè vigesimum annum, comes adjunctus, Ungariam petiit Barbaramque Zapolskam, Sigismundi Primi sponsam, Varsaviam deduxit. Cujus quidem quùm nuptias non infelici epithalamio celebravisset, reginâ auspice aulæ admissus est, Barbaramque, cui cancellarius datus est, ita dilectam sibi habuit ut ipsa, post tertium annum,

1. Polonicè Tomicki.
2. Polonicè Lubranski.

gravi et mortifero morbo afflicta nullum nisi Critium novissimorum verborum participem voluerit et in ejus complexu animam efflaverit. Exstinctâ autem Barbarâ, luctu violentus, hoc primum destinatum habuit Critius ut aulâ excederet seque à negotiis remotum Musis penitùs daret; Tomicii tamen precibus victus, tractandis rebus exteris, regendæ Ecclesiæ colendisque litteris, faventibus summoperè rege Sigismundo et reginâ Bonâ Mediolanensi, curam adhibuit. Bis in Ungariam legatus missus, quùm sermone in Presburgiensi congressu habito et de rebus Pruthenis epistolâ summoperè inclaruerit, Polotsensis episcopus ac deinceps Gnesnensis archiepiscopus designatus, post multa deceptæ ambitionis tædia, optatâ diù sede potitus est, ibique, secundo anno, nondùm sexagenarius, medicorum errore, decessit.

Erat acutissimo ingenio egregius, suî autem amore nimius, in voluptatem libidinemque pronior atque ad satiram, et quidem vehementissimam, natus, quâ bonos pravosve, reginæ Bonæ arbitrio, lacessebat; quo nec facilior quisquam nec jucundior sodalis haberetur, quique doctorum amicitiæ præcipuè indulgeret, Corvini scilicet et sibi dilectissimi Janitii, atque ipsius Erasmi, cui modo versibus, modo solutâ oratione scriptitabat. Sacerdotibus ideo invisus erat, quod rebus temporibusque callidè uti noverat et sibi regis reginæque Bonæ gratiam commendaverat, quâ suadente licitos nequaquam dolos nexuisse dicitur. Litteris à puero deditus, mollia primùm et procacia carmina composuit, quorum seriùs eum pœnituit; posteà vero, ïambis satirisque po-

tissimùm usus, rerum publicarum vices ita deductis tenui filo et ad unguem castigatis versibus modo extulit, modo questus est; ut merito Polonicæ historiæ præcipuus, dum vivebat, conditor habitus fuerit[1].

Eodem ferè tempore et haud dissimili fortunâ floruit acceptissimus alter Sigismundo Magno Barbaræque reginæ poëta, nomine *Dantiscus*, genere autem pœnè germanus, quippè qui Gedano A. D. MCDLXXXV natus fuerit. Humillimis pauperrimisque parentibus ortus[2], sed ingenio præditus insigni litterarumque studio velut inflammatus, hoc jam puer destinatum habuit et fixum animo ut doctrinam auctoritatemque labore sibi vindicaret, et rem audaciùs susceptam feliciter confecit. Etenim, quùm adolescentulus servilibus operis victum sibi diù compararet, noctù prima litterarum elementa discere solebat et latinæ græcæque antiquitatis vestigiis insistere propriis tantùm viribus nitebatur. Ubi vero, nono et decimo ætatis anno, imminere Poloniæ, Bogdano duce, Valachos Tartarosque audivit, militiæ nomen dedit, et, in Alexandro regis exercitu, armorum non segniter fecit primitias. Indè in patriam reversus, Cracoviensisque Academiæ, Crosnâ magistro, alumnus factus, inter cæteros discipulos summoperè inclaruit, versusque ita concinnos in laudem Crosnæ composuit ut Sigismundo regi, Musarum famulo clementissimoque fautori, innotuerit, et, ejus ope,

1. Multa pro tempore Critius edidit carmina, quorum rarissima nunc extant exemplaria.

2. Pater ei restiarius fuit; undè germanico cognomine Flauschbinder græco autem Δινοδέσμον vocari solebat.

litteris attentiùs indulgere iterque in Græciam, Palæstinam, Arabiam, Italiamque moliri valuerit. Cracoviam tædio patriæ brevì regressus, theologiæ, jurisprudentiæ ac poësi se iterùm totum dedit; sed, rogante Tomicio, aulæ admissus, annoque septimo et vigesimo, regis Sigismundis Secundi librarius atque curiæ judex electus est. Paulo post legati vicem apud exteros reges explere jussus, Venetiæ, Romæque duodecim annos contrivit, ubi Pontificem Maximum Clementem VII, Maximilianumque Imperatorem patronos et, ut ita dicam, familiares sibi sodales habuit. Iter eodem tempore, in Britanniam, Galliam et Daniam instauravit, Germaniamque et Belgium perlustravit, comes Imperatori Maximiliano, qui eum poëticâ laureâ et nobilitate donatum Academiæ Vindobonensi legum doctorem adscribi jussit. Carolum autem Quintum amicitiâ sibi adeo devinctum tenuit, ut ejus aulâ plurimis annis non excesserit eumque Bononiæ, Augustæ Vindelicorum Gedano, ubi malè à suis ipse acceptus est, secutus fuerit In Hispaniam postremo, rege suadente, migravit, ibique plurimos annos Ibericæ puellæ amore flagravit. Sed, quùm, jam maturâ ætate, senium ei ingrueret, à profanis ad sacra conversus, in Poloniam rediit, sacerdotiumque iniit, Gobvimbiæ curio, Warmiensis posteà episcopus, ac deinceps, gratiâ Sigismundi regis et Bonæ reginæ, princeps primatusque Rutheniæ factus. Summo pontifici à Carolo Quinto insuper commendatus, qui in purpuratorum patrum collegium adscriberetur, promissum sibi titulum Dantiscus abnuit, nè legem gentilitiam perfringeret, quâ Poloni episcopi ejusmodi

dignitatem ambire prohibebantur. Non tamen quod sacra munera devotissimè susceperit; quùm hæreticis secreto faverit et sæpissimè legati officium, suadente rege, resumpserit. Erat quidem amœnissimo cultu spectabilis, rei autem suæ minimè parcus[1] et voluptatibus ita deditus ut, eo mortuo, plurimæ in arcâ ejus inventæ sint amatoriæ epistolæ, fœmineis crinibus distinctæ. Doctorum autem virorum consuetudine lautissimè utebatur, quùm Joannis Campensis Cromeriique tutor et Erasmi amicus exstiterit charissimus. Multos quidem, pro suorum more, versus latinè conscripsit, elegiacos plerumquè, emendato sermone, justis numeris lucidoque sensu laudandos, paganis autem fabulis et vulgaribus sententiis sæpiùs reprehendendos. Carmina vero anteacto jam sæculo, vix reperire erat, quùm Gedanenses, Dantisci invidiâ tacti et ob malè sibi dicta versibus infensi, opera ejus acerrimo studio conquisita, mortuo eo, flammis pœnè omnia dederint.

III

Inter Crosnæ alumnos primo loco stetisse Clementem Janitium[2] certum est, Polono-Latinorum poëtarum principem, Polonumque Tibullum dictum cognomine.

1. Epistolam Dantisco Fernandus Cortez ex insulâ Hispaniolâ conscripsisse dicitur, quâ mutuum æs ab eo repetiit.
2. Polonicè Janicki.

Cujus si quis vitam et mores penitùs novisse velit, nil promptiùs habet quàm ut ejus opera attento animo perlegat, quibus varios vitæ casus commemorat intimosque sensus explicat. Ortus est Janitius patre agricolâ, Januscii, in Majore Poloniâ, A. D. MDXVI, natus novissimus tenuique valetudine infirmus. Ubi vero agriculturæ impar inventus est, puer quinque annorum, scholæ Snesnensi traditus est, ut iis innutriretur artibus, quibus prima ætas informari solet. Evocatus deindè in collegium Posnaniense, quod à conditore, Joanne Lubranscio episcopo, Lubranscianum appellabatur, Critii favente egregiâ liberalitate, ita brevi progressus est ut incitatam æqualium suorum industriam quadrigis quodammodo albis eum antecessisse mirarentur omnes. Ibi, nactus præceptorem, virum quemdam Apollinarem, poësim imprimis colere cœpit; ad quam tanta ingenii vis ipsi insita fuit, ut annos natus non ampliùs quindecim, jam is haberetur qui, pleno theatro cunctisque plaudentibus, Lubranscii laudes carmine prædicaret elegantissimo. Sed quùm, mortuo Critio inopiâque cogente, patriam domum lacrimabundus repeteret et Musis suis invitis invitus valediceret, tùm subito novi exstitêre fautores, quibus auspicibus incœptis insistere studiis et iter in Italiam moliri potuit. Patavium scilicet à Petro Cmitâ, Palatino Cracoviensi, in cujus gratiam post fata Critii venerat, eo tempore missus fuit quo Lazarus Bonamicus optimam quamque disciplinam, magnâ nominis celebritate, profitebatur. Cujus institutione et familiari consuetudine quùm septem annis usus esset, jam factus doctior elegias scribere

instituit, adhortante et summoperè favente Cardinali Bembo, moxque adeo inclaruit ut, vigesimum vix agens annum, inter philosophiæ doctores annumeratus laureâque poëticâ à Clemente VII, summo pontifice, Bononiæ decoratus fuerit. Hìc, quùm in doctissimorum virorum concilio familiariter versaretur, et sibi Hosium, Decium, Cromerum, tùm Maciejovium, Palatinum Lascum, Stanislaum Sprovium, Dantiscum cæterosque Poloniæ antistites amicitiâ devinctos haberet, ampliora sinè dubio fuisset assecutus, si per morbos continuos, et inprimis per hydropis ingravescens malum, Patavii morari diutiùs licuisset. Sed, quùm patriæ tædio laboraret, subitoque sibi patrem fratremque vitâ decessisse nuntiaretur Bonamico viaticum largiente, Poloniam repetiit, jam elanguidus certæque morti devotus. Paucos menses Cracoviæ in Musarum amplexibus transegit, modo legendo, modo scriptitando versus, modo amicorum colloquiis mœstum animum demulcendo. Editis tribus Elegiarum libris, paulo post mortuus est, A.D. MDXLIII, ætatis XXVII, poëta ob insignem eruditionem blandamque ingenii comitatem, excellentibus in Europâ viris, summâque in Poloniâ dignitate præditis, maximè desiderandus.

Quæ quidem omnia concinno et miserabili carmine, paucis antè obitum diebus composito, suis mandavit. Quod ex ipso nôsse licet:

« Si quis eris olim nostri studiosus, ob idque
» Nôsse voles vitæ facta peracta meæ,
» Perlege, quæ properè dictavi carmina, cùm me
» Hydrops lethæis jam dare vellet aquis.

» Alta jacent suprà Snenanas rura paludes,
» Janusci nomen nescio cujus habent,
» Quà nostri quondam reges fecisse secundum,
» A Gnesnâ, in Prussos, sæpè feruntur iter.
» Hæc meus assueto genitor versabat aratro,
» Vir bonus, et modicas inter honestus opes.
» Is dùm, peste gravi, natos sibi luget ademptos,
» Quæ fœdè nostros tunc populârat agros,
» Me genitum, medio luctu, sibi vidit et orbus
» Transegit menses, non nisi fortè decem.....
» Devoveor studiis, vixdùm quinquennis, honestis,
» Musarum et primas collocor antè fores.....
» Nempè pater, quia me nimis indulgenter habebat,
» Vivere me durum noluit inter opus,
» Nè tenera informi manus attereretur aratro,
» Nevè æstas molles ureret igne genas.....
» Tùm primùm nomen magni immortale Maronis
» Audivi, et nomen, Naso beate, tuum.
» Audivi, colere incœpi, dixique, Poëtis,
» Post Divos, terras majus habere nihil.
» Mox quas non lacrymas, quæ non ego vota, precesque
» Phœbo, cui vatum maxima cura, dedi?
» Nè sibi me famulum dedignaretur inertem,
» Inque suo minimum vellet habere choro.
» Annuit, accessi, plectrum citharamque recepi,
» Porrexit dextrâ quam Deus ipse manu.
» Tractavi sumtam assiduus cupidusque : sinè illâ
» Nulla fuit, memini, nox mihi, nulla dies
» Nec me pœnituit cœpti, piguitque, laboris :
» Profeci ætatis pro ratione meæ.....
» Obstitit, in gradibus mediis, mihi tristis egestas,
» Nec passa est nostros altiùs ire pedes.
» Nam pater, exhaustus, sumtus se posse negabat
» Ulteriùs studiis suppeditare meis.
» Cogerer ergo ipsis quùm jam valedicere Musis,
» Consuluit dubio sors inopina mihi.
» Præsul erat Critius, Phœbo vir amicus, in isto
» Orbe, per illa alius tempora si quis erat.
» Hic geniale suam limen mihi pandit in aulam,
» Pollicitus Musis omnia læta meis.
» Et fortassè fides sua verba sequuta fuisset :
» Mors illum rapuit sed properata mihi.

» Funera post Critii, numero me Cmita suorum
» Addit, et amissi damna rependit heri
» Meque jubet cupidum, non parcens sumtibus ullis,
» In Latium positâ protinus ire morâ.
» Voti compos, eo ingenuas mercator ad artes,
» Et fieri Euganeæ Palladis hospes amo.
» Invidit fortuna mihi, morboque gravatum,
» Compulit ad patrios me remeare focos,
» Quàm volui citiùs, citiùs quàm Cmita volebat;
» Sed res sub fatis votaque nostra jacent.
» *Ergo domi moriar, quod nobis molliter unum.*
» *Cessit, in externâ nec tumulabor humo.....*
» Invalidum mihi corpus erat, viresque pusillæ,
» Frangeret exiguus quasque repentè labor.
» Forma decora satis, vultus non tristis, in ore
» Non dubia ingenui signa pudoris erant.
» Linguæ usus facilis, vox clara, coloris imago
» Candida, et ad justum facta statura modum.
» Impatiens animus contemni, et pronus ad iram,
» Duravit multos quæ mihi sæpe dies.
» Gessi inimicitias non dissimulanter apertas:
» Nunquàm illis causam materiamque dedi.
» Judicio lectos colui constanter amicos,
» Hos tantùm veras credere, doctus, opes...
» Cor subitum ad lacrimas, misereri molle, gerebam,
» Sed quale, in pavido pectore, cervus habet.
» Hinc habui invisum teli genus omne, gravisque
» Pallados, in bellum dum ruit, hostis eram.
» Munditiem, curâ muliebri, prorsùs amavi,
» Ad vitium, in cultu, vestibus atque cibis.....
» In Venerem effusum malè me plerique meorum
» Decepti externis, asseruêre, notis,
» Vel quia me citharæ, cantusque salesque juvabant,
» Vel quia, pœnè puer, scriptor amoris eram.....
» Nunc quùm quinta meos ætatis Olympias actæ
» Ad majora animos tolleret, eccè! vocor
» Et pereo antè diem : nec jam, mea patria, possum,
» Qualibus optavi te celebrare modis,
» Et populi vetera acta tui Regumque tuorum,
» Et de temporibus non reticenda meis.
» Hæc et plura loquar de te, mea vita. Quid autem
» Te potiùs, quam quod das mihi sæpè, vocem?

» Ipse etiam præsens olim, quùm veneris illò
» Annosus, propriis auribus ista bibes.
» Nam venies ad nos : venient, quoscunque relinquo ;
» Hic nulli æternam fata dedêre domum[1]. »

Hoc Janitii carmen, licet perlongum, ferè totum referre non dubitavi, tùm ob insignem versuum præstantiam, tùm quia nullo alio exemplo ejus scribendi genus simul ac vitam moresque in lucem meliùs pleniùsque proferri posse putavi. Illud enim peculiare et quasi proprium sibi habuit ut non fictos herois cujuslibet dolores, æquævorum poëtarum more, sed vera et præsentia vitæ tœdia lamentaretur atque immaturum senium imminentemque mortem genuinè deploraret. Janitium sanè iis neutiquàm adscribas auctoribus, qui, dùm arte exquisitos affectus simulare student, Musis se indulgere existimant, injucundè quidem et ineptè, si Bolæo credimus :

« Je hais ces vains auteurs dont la muse forcée
» M'entretient de ses feux, toujours froide et glacée ;
» Qui s'affligent par art, et, fous de sens rassis,
» S'érigent, pour rimer, en amoureux transis... »

Non item de Janitio ; qui contrà, Cl. Marotium et alios ejusdem sæculi poëtas æmulatus, nihil versibus illustrat quod non priùs animo ipso sit expertus. Indè major illi veriorque vis eloquii, altior spiritus, aptiusque ad rerum speciem expressæ verborum figuræ. Testis elegia illa, ad amicum St. Sprovium, post adventum in Italiam scripta, quâ felicissimæ terræ

1. Tristium Libro. Elegiâ VII, paginis XXI ad XXIX.

dulcem temperiem, miram ubertatem, comemque incolarum habitum ita describit:

« ..... Auribus atque oculis nova sunt, quæcumque per omne
» Sunt Latium, o magnis terra habitanda Diis!
» Intueor cœlum: cœli clementia, et aër
» Est, qui, Saturno regna tenente, fuit.
» Tunc etenim perhibent luces fulsisse serenas,
» Et nullos nebulis succubuisse dies.
» Tunc nullas hiemes, nullos et grandinis ictus,
» Frigoraque ejectæ nulla fuisse nivis.
» Continuos totum flores nituisse per annum,
» Verna hæc, nescires, esset an illa dies?
» Tempora lætitiis, lætisque ivisse diebus,
» Aurea de vultu, jure, vocata suo.
» Hæc ego, in Ausoniâ, paulùm aut diversa, videre
» Cùm magno videor pœnè stupore mihi.
» Si specto mores hominum, jucundiùs illis,
» Inter tot populos, arbitror esse nihil.
» Nullus inest animis fastus, nec stulta superbi
» Verba supercilii, colloquiique tumor.
» Miscetur placidis reverentia mutua verbis:
» Nec scio, si verus, sed tamen aptus amor.
» Omnia commendat quædam festiva venustas,
» Comis et admixtâ cum gravitate decor.
» Maxima munditiies, sed nulla profusio rerum
» Prodiga, quæ partas non benè perdat opes.
» Est modus in cultu utiliter servatus honesto,
» Parcaque vestitûs gratia, parca cibi.
» Ebrietas facinus tàm detestabile, quàm si
» Quis rapiat sacris munera sacra locis.
» Non igitur quisquam, tantùm germana juventus,
» Hinc exosa etiam, dedita, Bacche, tibi est.
» ..... In tam securâ Musarum turba quiete
» Versatur, lauri fronde revincta caput.
» Nil igitur mirum, si magnos ista Marones,
» Eloquiique tulit terra beata Deum.
» Pace loquar patriæ, quantò felicior essem,
» Hæc me tam felix si genuisset humus!
» Non tamen idcircò, quoniam sic fata tulerunt
» Provida, Sarmatiæ filius esse queror.

» Nulla sub immenso tellus est talis, ut illam
» Fas mihi sit terræ præposuisse meæ.
» Italiam miror, patriam venerorque, coloque :
» Adficit illius me stupor, hujus amor.
» Altera blanditiis animum tenet, altera magno
» Jure : hæc hospitium dat mihi, at illa Larem.
» Atque utinam detur quondam mihi posse reverti,
» Illius inque pios me recreare sinus[1] ! »

Janitium enim, ut ex his versibus patet, clementissimo cœlo dulcibusque illecebris captum, nunquàm tamen Italia ita detinuit ut Poloniæ suæ non memor fuerit, summoque studio constanter eam coluerit. Cujus quùm desiderio tabesceret, revertentes in Poloniam amicos querulo carmine prosequebatur, tùm suorum discessu mœstus, tùm corpus increpans adeo debile quod non itineris laborem toleraret, sperabatque hoc sibi brevì liciturum ut eorum vestigiis insisteret.

Et licuit quidem ; quantis vero incommodis, quàm crebris molestiis, quàm aspero per Carnicas Alpes itinere, ipse, in patriam redux, elegiâ ad Petrum Miscovium, sodalem suum, scriptâ narravit :

« ..... Nauta fui præceps, qui protinùs illud
» Commisi in magnum debile corpus iter,
» In quo multa tuli, quæ vel firmissima duri
» Membra viatoris lædere posse putes.
» Continuis bis sex pluvias, sinè fine, diebus
» Sæpè etiam mistâ grandine, sæpè nive ;
» Idque per anfractus, malè pervia saxa, gradusque
» Alpinos, misero quùm veheremur equo :
» Perque graves olido nebulas de sulphure cujus
» Est, ut scis, illis plurima vena jugis.

1. Vriarum elegiarum libro ; Elegiâ VII, paginis LXVII ad LXIX.

» Barbariùs nihil est Alpinâ gente, ferumque
» Nil magis est, ipsi sint nisi fortè lupi.
» Advena despectus cunctis : est hospes ut hostis,
» Itala præcipuè pallia quisquis habet.
» Collige, quàm potuit mihi tunc locus, imbre madenti
» Ille in inhumanâ commodus esse domo.
» Adde quod ignarus linguæ, quibus æger egebam
» Cogebar variis significare notis.
» Intellecta quidem sunt signa subindè, sed illic
» Nemo satisfactum qui mihi vellet, erat.
» Ebria quin etiam risit me turba rogantem,
» Atque intellectas noluit esse preces.
» Ergo mihi vetitos, ut certa venena, coactus
» Sum nimis esuriens sumere sæpè cibos.
» Ut vero in Moravos descendimus, altaque nobis
» Pannonia à tergo tota relicta fuit,
» Vina bibebamus cœmento infecta, quod illis
» Omnia nascuntur talia vina locis ;
» Vel quæ nostra Ceres, Lenæum imitata saporem,
» Pocula ferventes miscuit inter aquas;.....
» Hæc, et quæ taceo, vestrum læsêre sodalem,
» Heu ! quem sors vestrum noluit esse diù.
» In patriam aufugit, studiis miser ille relictis
» Tam cito, in externâ nè moreretur humo.
» Hìc sibi jam propiùs primam putat esse salutem :
» Est aliquid patrii forsitan aura soli.
» At tu, cui placidi faverunt omnia Divi,
» In Musis istìc vive, valeque tuis.
» Quod non tàm, quia multa tibi debemus, amatæ
» Quàm patriæ caussâ, Pieridum que precor.
» His summa accedunt, per te, ornamenta duobus :
» Sit modo Parca annis non inimica tuis[1]. »

Ex iis, quæ suprà commemoravi, carminibus facilè quis agnoscat mœrentem quidem et tenerum Janitium ad hoc imprimis ingenium contulisse ut fautoribus suis gratias ageret amicisve studiorum et valetudinis vices exponeret, aut deniquè Italici soli æstivæque tem–

1. Tristium libro ; elegiâ V, paginis XVI, XVII et XVIII.

pestatis blanditiem laudibus extolleret, autumno summoperè infensus, veris autem amator nimius, quod sæpiùs pulcherrimis exornavit versibus. Ad majora tamen aliquando evectus est; quippè qui, ut verè Polonum se testaretur, hoc semper animo fixum habuit ut fidem catholicam intactam servaret suorumque animos in imminentes Turcas Moscosque incitaret.

Beatam Virginem Mariam insigni pietate venerabundus coluit, elegiisque nonnullis extulit, quùm ab eâ supplex petierit ut, in duplici corporis animæque positus periculo, salutem æternam valetudinis damno rependeret, in illas preces effusus :

« O mihi in adflictis semper fidissima rebus
» Adjutrix, summi nata, parensque Dei !
» Nunc quoque, nunc oculos ad me demitte benignos,
» Et querulas servi suscipe, Diva, preces.
» Cui quod adhùc licet ista queri, linguæque potestas
» Integra quod superest, debet id omne tibi.
» Debet et exiguum hoc animæ, quod, pelle sub istâ,
» Has inter venas, inter et ossa, latet....
» At tu, Virgo, adsis, pro meque, ut fortiter omnes
» Evincam gemitus, sustineamque, roga!....
» Mortem etiam lætus videam, si forsitan ad me
» Jam nunc occulto jussa venire pede est....
» *Tunc oculis cernam, quæ nunc neque mente valemus*
» *Concipere, humano nec memorare sono,*
» Teque, tuosque omnes : tunc me, Regina, vocabis
» Et facies vestros antè sedere pedes [1].»

Notandæ insuper epistolæ quas ad D. Joannem Antoninum medicum sibi carissimum Severinumque Bonerum de Budâ à Turcis occupatâ Lascoque occiso elegis conscripsit. Supinam enim suorum inertiam diu-

1. Tristium Libro; elegiâ II, paginis VII et VIII.

tinasque christianorum principum discordias summâ facundiâ increpat, Ungariæque labanti ut subveniatur jubet, verè dignus qui Joannis Sobieski civis sui futura facta prænuntiet. Poloniæ nunc oppressæ et jacentis omnigenæque Barbarorum colluviei in prædam datæ miserrimos casus præsensisse quodammodo eum dicas, dùm Ungariæ cladem miserrimo carmine deplorat et antè oculos velut exponit. Quanti autem Polonis et Hungaris ad communem salutem strictum et inviolatum servare fœdus intersit, quantâ curâ vitanda dissidia restinguendaque odiorum, ut ita dicam, incendia, summâ vi, summo animi æstu, summâ eloquentiâ asseverat, futuri quasi conscius :

« .... Ister ! o Ister ! aquæ Rex magne ingentis, o Ister !
» Qui septemgeminas in mare volvis aquas,
» Ecquid ad has oculos lacrimas convertis ? et unam,
» Quæ superest miseræ, porrigis ecquid opem ?...
» Plena cadaveribus trahis, eccè ! fluenta tuorum
» Et patrio infectas sanguine ducis aquas :
» Insuetisque caput captivum pontibus infers
» Servus, ab hostili comprimeris que rate.
» Nunc, Corvine, tuum, nunc o ! disrumpe sepulcrum,
» Surge, tuos vindex assere, surge, veni !....
» Nec tamen ista tibi sit tantùm injuria : ab urbe,
» Me miseram ! ejicitur Christus et ipse tuâ.
» Templa exultanti Mahometo arasque resignat
» Et rapitur pœnæ rursùs in omne genus.
» Quæ que olim subiit Solimæi militis, illa
» Et Solimannæi nunc quoque probra subit....
» Missa et aratorum bis septem millia certum est,
» In quos Pannonici distribuantur agri.
» Indigenæ cedunt noto de rure coloni
» Hostilem extorres inque trahuntur humum.....
» *Dissidii quód sit finis servire, videtis,*
» *Pannones*, in proprium natio prompta malum.
» Vester vos gladius, dissensio vestra peremit :

» Caussa mali falso creditur esse Deus.....
» Europæ populi, quos urget Turca, dolete,
» Indignâ Lasci morte dolete mei.
» Te tamen, hæc tecum reputas si tempora, debet
» Acrior, in lacrimas, patria, ferre dolor.«
» *Commoda Pannoniæ sunt commoda vestra, Poloni,*
» *Sarmata communi fertur et illa rate.*
» *Dum fuit incolumis, vallum fuit illa Poloni,*
» *Vallum Teutonici nec minùs una soli.*
» *Ut cecidit, quæ non et nos ventura timemus?*
» *Sed tacet augurii lingua timore mali....*[1]. »

Graviora, ut dixi, tractantem plerumquè Janitium ab omni tamen festivitate jocoque alienum nè quis judicet, monent aliquot epigrammata, sale quidem sæpiùs carentia, procaciorque epistola, ad imitationem Flacci Catullique conscripta, quâ, à Franciscano quodam rogatus, ut in Scotum quiddam componeret, se illi excusavit. Christianæ fidei et litterarum quùm se studiosissimum Janitius cæteris elegiis semper professus fuerit, hoc erotico ostendit carmine quàm scholasticæ ac monachorum apertus fuerit aspernator, Venerisque quàm addictus famulus. His incipit :

« Quid de Scotiacis, mî Franciscane, tenebris
» Scribere me, qui sum nullus ad ista, jubes?
» Et cuperem, et nequeo : rude, sed natura serenum
» Mitior ingenium molle dedit que mihi...
» Da mihi materiam, teneris pro viribus, in me
» Officii nullas experiere moras.
» Sed dare non poteris : nemo nisi mater amoris,
» In mea conveniens carmina novit opus...
» Quisque suos sequimur Genios : mihi mollibus ætas
» In studiis, magnis libera rebus, eat.
» Tu Labyrintheos misero scrutare labore
» Anfractus, dubias circumeasque fores.

1. Tristium libro; elegiâ VIII, p. XXXI ad XXXIV.

» Dii tibi dent pennas, sibi quas aptâsse feruntur
» Cum nato, fugiens talia tecta pater :
» Sivè Cupido suas : illis per amœna volares
» Ad sanctos, nôsset si Deus ille viam.
» Ad vestras certè sanctas benè novit, et illis
» Sæpè, ut scis, pueros donat, et ipse puer[1]. »

Rudem et obscœnam illam, quâ carmen concluditur facetiam eo asperiùs reprehendo quo à cæteris versibus concinnis et acutis meràque illâ antiquorum poëtarum venustate non indigis apertiùs discrepat. Janitium tamen hujusmodi jocis indulsisse non modo non doleo, verùm etiam gaudeo, quùm et eâ eroticâ epistolâ manifestiùs appareat, quàm alacri et vivido ingenio, latinæ linguæ latinæque Musæ sibi elegantias arripuerit, quanto deniquè animi æstu, et non infelici quidem, se ad id contulerit ut, inopiâ, amore et morbo simul exagitatus, quæcumque animo inessent versibus redderet, et, omisso verborum fuco, significaret. Emendatus ei plerumquè sermo, licet dubiis et obsoletis verbis nimiùm indulgeat[2], fluens oratio, sententiarum tamen ambitu, aut

1. Variarum elegiarum libero; elegiâ XI, paginis LXXVIII et LXXIX.
2. Exempli causâ hos afferam versus :

Vestra Europa omnis, *Lybs* quoque vester erat...
(*Tristium*, El. VII, p. XXX.)

Flos tibi Vistuleo *pulcerrimus* unus in horto...
(*Tristium*, El. IX, p. XL.)

At voluit soli *reliquum* tibi *vivere vitæ*...
(*Tristium*, El. IX, p. XL.)

Dicuntur passis *flesse*, per arva, comis...
(*Variarum Elegiarum* libro, El. IV, p. LX)

Quas *aspergillos* patria nostra vocat...
(*Vitæ Polonorum principum*, p. IC.)

Dicere, quâ licuit, *sub* brevitate mihi...
(*Vitæ Archiepiscoporum gnesnensium*, p. CIV.)

obscurè dictis paganisve fabulis intempestivè commemoratis non utiquè immunis[1]; versus aptè compositi et justo plerumquè modo sonantes[2]; carminis deniquè nativa

1. Vide :

Infudit *tacitum* plantis herbisque vigorem.
(*Tristium*, El. II, p. VI.)

.... Seu plurima specto
In te *virtutum sidera*, sivè genus.
(*Tristium*, El. III, p. VIII.)

Quo major tua laus, ex hâc quod sola triumphum
Tu, quæ, de cunctis, sola triumphat, habes!
(*Tristium*, El. III, p. XI.)

.... Imploro benignam
Cum gemitu *timidis* supplice *rebus* opem.
(*Tristium*, El. III, p. XXII.)

.... cruorem
Alter in alterius aggrederentur opus...
(*Tristium*, El. VIII, p. XXIX.)

Sarmaticis et inops exul habitabat in oris.
(*Tristium*, El. IX, p. XXXVII.)

Fraterni et madidas *sanguinis imbre* manus.
(*Tristium*, El. IX, p. XXXVII.)

Nec nisi *pullati carminis* auctor ero.
(*Var. Eleg.* libro, El. IV, p. LVI.)

Cur mihi materiam, Lachesis, tam sæpè querelæ
Objicis, *in luctus officiosa meos*.
(*Var. Eleg.* libro, El. IV, p. LVI.)

Eripuit patriæ Cmitam *mors atra* minorem.
(*Var. Eleg.* libro, El. IV, p. LVI.)

Semper et in ramis poma *stetisse* suis.
(*Var. Eleg.* libro, El. VII, page LXVIII.)

Gratia, Musarum divinis *grata* choreis.
(*Var. Eleg.* libro, El. IX, p. LXXIV.)

2. *Iis* sæpissimè in unam syllabam contrahit; monosyllaba veteri more verba producit (*non secus ac alieno*); verbo *que* post brevem syllabam abutitur (*arce que de Phrygia*); tùm deniquè duos versus penitùs dissonos conscripsit : altero enim *recreer* produxit; altero *fuerunt*. (Vide Tristium libro, El. X, p. XLII et Variarum Elegiarum libro, El. IV, p. LX).

quædam elegantia, quâ Janitium non agresti humilique loco ortum sed latinâ venustate italicique cæli clementiâ et diutino Græcarum musarum commercio exornatum patricium quemdam Venetum vel Florentinum esse existimes[1].

IV

Plurimi Janitii, vel ipso vivente, vel etiam defuncto, exstitêre imitatores, infausto quidem omine, quùm iis deessent et flebiliter scriptitandi causæ et præsertim natum elegiis ingenium. Habentur præcipui Gregorius Samborietanus[2], Andreas Tricesius[3], Joannesque Cochanovius[4], eodem ferè tempore et nati et vigentes.

Gregorius Samborietanus, A. D. MDXXIII in Rutheniâ (seu Roxolaniâ aut Russiâ) natus, theologiam primùm, hebraïcamque et græcam linguas Cracoviæ edidicit, ubi dehinc, sacerdos factus theologiæque pro-

1. De cæteris Janitii operibus silebo : nempè de *Epigrammatibus*, ex quibus unam tantùm notitiâ dignam censeo, *Coturnices* titulo designatam et totam ad Statii imitationem compositam; de *Vitis Principum Polonorum et Archiepiscoporum Gnesnensium* chronicorum libro quàm carmini propioribus, et de posthumo *Epithalamio de nuptiis Regis Sigismundi Augusti*. (Vide : *Cl. Janitii Poloni poëtæ laureati poëmata in unum libellum collecta et ob insignem raritatem ac præstantiam denuo excusa, curante Ehrenfried Boehmio. Lipsiæ, sumptibus Lœwii, MDCCLV*, 8o).

2. Gallicè Grégoire de Samborz.

3. Polonicè Trzysziewski.

4. Polonice Kochanowski.

fessor ac scholæ Beatæ Mariæ Virginis rector designatus, vitam studendo scribendoque egit, indefessus præsertim latinorum carminum auctor; quippè qui, ut ipse aït, diem amissam sibi duceret, quâ versus latinè non composuisset. Cæterùm affatu comis, pietate eximius, deditus suis, summâ in miseros clementiâ, summo in patriam studio insignis, edendis eclogis, elegiis, versibus extemporariis theologicisque carminibus, adeo sumptu se exhausit ut moriens pœnè nihil proprium habuerit, nisi pretiosissimam bibliothecam, quam urbi suæ, ad usum studiosæ piæque juventutis, legavit. Sacræ Bibliæ inprimis de linguâ hebraïcâ in latinos versus vertendæ navavit operam, Genesimque edidit, operis magnitudine et, ut ita dicam, immensitate neutiquàm perterritus, exactis quidem numeris et emendato sermone spectabilem, omni tamen poëtica vi et venustate, si Visnievio credimus, destitutam[1].

Andreæ Tricesio peculiare fuit et proprium ut, quùm antiquas recentioresque linguas et præsertim hebraïcam calleret, idemque hæreticis fallaciis, ut multi tempore illo Poloni, captus, Hussitarum partes sequeretur, theologicas controversias versibus iniit et plurima catholicæ fidei odio insignia composuit carmina, multaque prætereà laudativa epigrammata atque insuper elegias de carminibus eo tempore editis.

Joannes Cochanovius, clariore famâ multoque præstantiore ingenio præditus, inter Polonos poëtas polonicè scribentes maximus habetur; quippè qui primus

1. Wisniewski, *Histoire de la littérature polonaise*, t. Ier, p. 237.

polonicis versibus operam dedit patriamque summo studio dilectam impigrè carminibus concelebravit. Latinos tamen versus admodùm juvenis, quùm in Italiam Galliamque peregrinaretur, composuit, polonicis non omnino impares, quibus ad imitationem antiquorum poëtarum, Tibulli videlicet et Flacci, haud infeliciter se contulit. Lyricis præsertim eminuit : editis scilicet odis *ad Puknejsiensem Conventum et ad Concordiam* [1], epithalamioque in nuptias Joannis Zamoscii et Griselidis Battoreæ composito, quod à regiis musicis ad lyram decantatum ferunt. Elegias insuper, æmulatus Petrarcæ, condidit, voluptatum illecebris, Italico seu epicureo more, concelebrandis unicè deditus. Quod ex ipso exaudias licet :

« Bella instant patriæ : nùm nos quoque bella sequemur,
» Et dabimus duræ nomina militiæ?
» Illos bella juvent, quos auri cuncta domantis
» Gemmarumque fames imperiosa tenet;
» Me parvo assuetum, lituis procul et procul armis,
» Ad patrios fas sit consenuisse lares,
» Igne ubi exstincto lucet focus, agricolamque
» Ubere solatur messe benigna Ceres.
» Hic me vel vites, vel mollia poma serentem
» Inveniat miles, perdomito hoste ferox,
» Qui mihi sanguineas, plena inter pocula, pugnas
» Narret, et effusà castra relicta fugâ,
» Oppidaque et summis dejectas montibus arces,
» Et tot cæsa et tot millia capta virûm.
» Ipse, tenens veteri spumantia cymbia Baccho,
» Excipiam tacitus fortia facta viri.
» Attoniti stabunt vernæ surdasque ministro
» Percutient aures verba vocantis heri [2]. »

1. Vide : *Cochanovii Lyricorum librum.* Lazari Andrea typis, 1580, 4°; et Petricovii, 1612, 4°.
2. Vide Elegiam XIII, libro cui titulus : *Cochanovii Elegiarum*

Eodem carmine in amicæ Doridis laudes effunditur, ejusque agrestium laborum se comitem futurum exoptat, distichis elegantissimis et antiquum planè redolentibus idyllium :

« .... Ego stivæ innixus adunco,
» Versabo glebas vomere pinguis humi,
» Spemque anni venientis aratâ semina terrâ
» Spargam, sed dominâ me comitante meâ,
» Quâ præsente omnem possum perferre laborem;
» Illa mihi vires auferet, illa dabit.
» Ter, quater et quantùm non est numerare beati,
» Quorum pectoribus mutuus ardet amor!....
» Tecum nec fremitum ponti, nec murmura cœli,
» Nec timeam æthereâ fulmen ab arce cadens.... »

Detestato aliàs bello, venerei gaudiis niduli sibi redditis quantùm lætetur, concinnè testatur :

« .... Solve caput galeâ, clypeumque hastamque, Meletî,
» Depone, et patiens ense recinge latus.
» Nulla hic hostilis rabiosa licentia ferri,
» Nulla repens cultis flamma minatur agris.
» Nulla tuba auditur, quæ dulces horrida somnos
» Auferat, incautis incutiatque metum.
» Hic pax alma viget, reclusisque otia portis,
» Hic amor et sumptâ mitis Apollo lyrâ
» Scuta virûm canis involvit aranea textis,
» Enses rubigo sævaque tela domat.
» At juvenum plenis florent convivia tectis,
» Blandaque jucundis plausibus aura sonat.
» Ipse ego odorato tingam tua tempora nardo,
» Et flavæ imponam florida serta comæ,
» Omniaque abstrusum quæram per dolia Bacchum :
» Ille deus mentes exhilarare solet[1]. »

Libri III; ejusdem *Foricœnia, sivè epigrammatum libellus*. Typis Lazari, 1504, in-4°, et Andreæ Petricovii, 1612, in-4°.

1. Vide, opere citato, Elegiam VII.

4

Cochanovium quâm in decantandis amatoriis lusibus suavem, tàm in laudandâ patriâ et ab omni notâ vindicandâ vehementissimum invenias. Quod quidem insigni et domestico, ut ita dicam, testimonio confirmatur : nempè, quùm Rex Poloniæ electus, quinto Cracoviæ jam exacto mense, Carolique IX morte auditâ, Henricus III fugitivus Poloniâ excessisset, nosterque Portæus, fidissimus ei comes additus, Polonis procaci et contumeliosâ elegiâ valedicere non dubitavisset[1], Co-

1. Adieu à la Polongne.

» Adieu Polongne, adieu pleines desertes,
» Tousiours de neige ou de glace couvertes,
» Adieu pays d'un eternel adieu :
» Ton air, tes mœurs m'ont si fort sceu desplaire,
» Qu'il faudra bien que tout me soit contraire
» Si iamais plus ie retourne en ce lieu :
» Adieu maison d'admirable structure,
» Poiles adieu, qui dans vostre closture
» Mille animaux pesle mesle entassez,
» Filles, garçons, veaux et beufs tous ensemble,
» Un tel mesnage à l'aage d'or ressemble,
» Tant regreté par les siècles passez.
» Quoy qu'on me dist de vos mœurs inciuiles,
» De vos habitz, de vos meschantes villes,
» De vos esprits pleins de légereté,
» Sarmates fiers, ie n'en voulois rien croire,
» Ni ne pensois que vous peussiez tant boire :
» L'eusse-ie creu sans y avoir esté?
» Barbare peuple, arrogant et volage,
» Vanteur, causeur, n'ayant rien que langage
» Qui iour et nuict dans un poisle enfermé
» Pour tout plaisir se ioüe avec vn verre,
» Ronfle à la table, ou s'endort sur la terre,
» Et comme vn Mars veut estre renommé,
» Ce ne sont pas vos grands lances creusees,
» Vos peaux de loup, vos armes deguisees,
» Où maint plumage et maint aisle s'estend,
» Vos bras charnus ni vos traits redoutables :
» Lourds Polonnois, qui vous font indomptables.
» La pauvreté seulement vous defend.
» Si vostre terre estoit mieux cultiuee,
» Que l'air fut doux, qu'elle fut abreuee
» De clairs ruisseaux, riche en bonnes citez,
» En marchandises, en profondes riuieres,

chanovius incauti ingratique viri satiram redarguit et fugientem Regem ejusque sodales mordacissimo carmine merentes carpsit, cui titulus inscribitur : *Gallo crocitanti*. His incipiens versibus Henrici ignaviam increpat :

« State viri : quæ causa fugæ? nec Trinacris hæc est
» Ora, nec infames funesto vespere terræ;
» Sarmatia est quam, Galle, fugis, fidissima tellus
» Hospitibus.....
» Tu verò ingratus, fugitivus, barbarus, hospes,
» Officium in vitium trahis et temeto spargis
» Non tantùm me, sed proprios etiam, ebrie, versus. »

Sacerdotum posteà vitiis offensus Cochanovius eodem asperrimo sale, acerbis iisdem convitiis in eos invectus est, et primus omnium, ob insignem nativi sermonis latinæque linguæ scientiam, *macaronicum* carmen, id est verbis partim latinis, partim polonicis com-

» Qu'elle eust des vins, des ports et des minières,
» Vous ne seriez si long temps indomptez.
» Les Othomans, dont l'ame est si hardie,
» Aimant mieux Cypre, ou la belle Candie,
» Que vos deserts presque tousiours glacez :
» Et l'Alemand qui les guerres demande,
» Vous dedaignant, court la terre Flamande,
» Où ses labeurs sont mieux recompensez.
» Neuf mois entiers pour complaire à mon maistre,
» Le grand Henry, que le Ciel a fait naistre,
» Comme vn bel astre aux humains flamboyant,
» Pour ce desert i'ay la France laissee,
» Y consumant ma pauure ame blessee
» Sans nul confort sinon qu'en le voyant.
» Face le Ciel que ce valeureux Prince,
» Soit bien tost Roy de quelqu'autre prouince,
» Riche de gens, de citez et d'auoir :
» Que quelque iour à l'Empire il paruienne,
» Et que iamais icy ie ne reuienne,
» Bien que mon cœur soit bruslant de le voir. »

(Les œuvres de Philippe Des Portes, au roy de France et de Pologne. Reueuës, corrigées et augmentées outre les précedentes impressions. A Lyon, par Benoist La Caille, à l'enseigne du Phenix, MDCXV, in-12, p. 580 et 581.)

posuit, quo breviter aulicorum mores pro meritis æstimavit, monachum paulo jocosiùs ludificavit, sacerdotumque amatoria delicta severis perstrinxit cavillationibus. Quapropter, quùm eruditis simul et sacerdotibus invisus, ab his ineptus nugarum assertor et illepidus utriusque linguæ tortor haberetur, qui verba viva, ut ita dicam, mortuis jungeret, ab illis autem impius Ecclesiæ contemptor, hæreticâ labe inquinatus, vinoque tantùm et scortis, lutherico more, indulgens, in capitis periculum venisset, nisi ei regis Sigismundi Augusti amicitia pro tutelâ fuisset. Nec immerito quidem : Cochanovium enim si quando ingenii levitas, linguæ licentia, debitaque in sæculi corruptelam indignatio paulo vehementiùs effusum rapuerunt, eum tamen nè quis credat vel patriæ, vel catholicæ fidei defuisse, neque aliud quàm juvenilia quædam commisisse. Imo mitis comisque, ingenuitate et virtute insignis, aulicas voluptates divitiasque contempsit et rusticam vitam tranquillo peractam otio sibi potiorem, Musis faventibus, habuit.

Alterum eodem tempore poëtam parem ingenio, indole similem et iisdem pœnè fortunæ procellis vexatum amicissimum sibi tenuit Cochanovius, nomine Clonovicium, seu Acernum[1], Sulmirâ[2] in Poloniâ

1. Polonicum ei nomen fuit Klonowicz; Acerni autem cognomen ab eo tulit, quod *Klonowicz* polonicè arborem quam dicunt acer, id est *erable*, significat; quod ipse indicat, quùm in *Roxolaniâ*, silvarum Russarum descriptionem adorsus, in laudes aceris his versibus incidit :

« Hic acer est, arbor *dolabris* lævibus apta,
» (Hæc arbor nobis nomina grata dedit)... »

2. Polonicè Sulmierzyszacz.

Majore natum, studio autem et vivendi consuetudine Ruthenum penitùs factum. Qui, quùm in Lublinensi civitate judex Judæorum rerumque privatarum curator, nesciis flecti monachorum et magnatum odiis, morbo, uxorisque furtis ægram vitam pauperrimus et novissimè pœnè mendicus duceret, id sibi solatium comparavit ut carminibus, seu latinâ, seu polonicâ linguâ compositis, modo licentiores suorum mores carperet, modo patriæ polonicæque gentis sibi dilectissimæ laudes posteris commendaret. Rutheniam inprimis cecinit, quam diutissimè habitatam penitùsque exploratam Galliciæ, Lithuaniæ Mazoviæque, quanquàm sibi nativæ, antehabuit dignamque existimavit quæ, ob egregiam soli amœnitatem cœlique temperiem, meridianis Europæ regionibus adæquaretur. Agrestibus insuper et castissimis incolarum moribus unicè delectatus, opus singulare quidem et rarissimum, ad Georgicorum imitationem, distichis composuit, cui titulus, ab ipso Rutheniæ latino nomine, *Roxolania*. Carmine non longissimo rem triplicem, licet non æquè partitam, attigit : loci naturam primùm, solique ubertatem et agrorum fructus versibus exornavit ; dehinc, in laudes oppidorum digressus, præcipuè notandas paucis descripsit ; incolarum deniquè mores, sivè ad dicandos Christo infantes, sivè ad placandos defunctorum manes, sivè etiam ad conciliandos magicis incantamentis amatorum animos spectarent, sedulus exposuit. In futilia quidem et illepida nonnunquàm divagari eum procul dubio est : pueriliter enim eum narrare mireris modo serpentis

insidias vaccæ mammas sugentis et vitulum materno lacte fraudantis, modo ursi ad saltationem edocti ludicra, modo agricolarum in materiâ curribus findendâ industriam. Sæpiùs tamen eum probum verborum artificem eximiumque laudes poëtam, ruris amœnitate penitùs delectatum et agrestes incolarum labores fido speculo velut antè oculos exponentem.

Pauca primùm de Rutheniæ temperie clementique cœlo exorsus, silvarum latebras, arbores et monstra breviter describit; indè, in aperta rura elapsus, quibus modis Russus sibi rusticos currus aratrave fabricare, quibus juvencis terram exercere, quibus sementibus instruere soleat, Maronis more, et non infeliciter quidem, ostendit. Mox vero, Galateâ invocatâ et Cyclopis amoribus breviter commemoratis, pastorum labores et lusus canit agrestes, atque armenta sub dio nata et viventia, belluisque indomitâ et quasi ferinâ naturâ propiora : boves scilicet totâ æstate et vel primam sub hiemem immensa desertorum pascuorum spatia pererrantes et sepibus vepribusque à ferarum assultibus noctù defensos, oves in nudâ humo enixas, ac ferum inprimis et barbatum hircum, cùm lupis prælia committere non dubitantem :

« ..... Quin etiam Russo permagnus nascitur hircus,
» Bellaque cùm sævis jungit aperta lupis.
» Barba sub ingenti pendet longissima mento,
» Fœtida colla fovent totaque terga jubam.
» Dum fera vilosæ latet insidiata capellæ,
» Naribus hanc patulis olfacit ipse caper;
» Cornibus armatam vibrans in prælia frontem,
» Non timet in sævos obvius ire lupos,

» Propugnatque audax vulgus muliebre maritus
» Et teneros fœtus armiger ipse tegit.
» Noctes atque dies, hyeme æstatisque sub igne,
» Non redit in domini bucula pasta domum :
» Sylva gregis stabulum est, gregis incunabula sylvæ,
» Pastor et armenti sub Jove semper agit[1]. »

Ludos pastorum deinceps, de caseis Russorum brevì prolocutus, describit : nempè cantilenas, choreas, insidias avibus visco positas, periculosos per arbores summas ad decerpendas frondes ascensus, ursorum item venationem et disciplinam, hibernasque epulas cerevisiâ et hydromelite frequenter degustatis hilares. Paucis exindè, colendi lupuli et apum curandarum rationem effatus, crematique vini luem vividissimè detestatus, verso in risum carmine, ursis moris esse asseverat ut cavis arboribus abdita mella detegant iisque per hiemem enutriantur, narratque per jocum quibus mellitis pedicis Russus agricola in favos cavâ arbore abditos delabens captus et ab urso inscio liberatus fuerit.

De urbibus pauca et indigna quidem quæ referantur disseruit Acernus : Leontopolim primùm, fide catholicâ laudandam, amœno rure beatam Armeniorumque commercio ditatam extollit, in Judæos tamen ibi commorantes mordacissimis versibus invectus ; Zamoscum exindè mœnibus insignem ; Kiioviam, vetustissimam et sacerrimam Russis urbem, licet à Tartaris accolis sæpiùs vastatam ; Cameneciam deniquè vivo cinctam

1. Vide : *Roxolania*. (Wladislaw Syrokomla. Przeklady Poetow Polsko-Lacinskich. Varsovie, 1852. Tome VI, p. 157 et 158).

pumice; Buscam, Socalem, Præmisliamque concelebrat, non omissâ felici salsis puteis Drohobiciâ.

Præstantiore curâ rusticorum Roxolaniæ incolarum mores Acernus expressit : infantium præcipuè lustralibus aquis mersorum festa, Russorum sacerdotum connubia, rudem puerorum et, ut aït, lacedæmoniam disciplinam, sobrium victum strictaque jejunia. Rudes et ignaros insuper Russorum animos quibus illecebris inveterata teneat superstitio, quibus sagæ veneficiis amantes deludant, narrat, ipse, seu fictitio poëtarum more, sivè reverà, non omnino incredulus. Quod ex ejus carmine nôsse licet, ad imitationem Nasonis et Statii manifestè composito :

« Vidi ego decrepitas matres volitare per umbram,
» Et vidi volucres tempore noctis anus;
» Vidimus è sudo pluvias deducere cœlo
» Incantatrices carmine sæpe suo.
» Flumina cùm ventis et mixta tonitrua nimbis,
» Heu! segeti grando carmine jussa, nocent.
» Vidimus et niveum fluxisse è fune cruorem,
» Ubere non vaccæ copia tanta fluit.
» Sæpè furens juvenem per carmen amica reduxit,
» Quamvis cæruleum trans mare vectus erat.
» Non levibus pennis tantùm prætervolat ales,
» Ut fers mancipium, dire Cupido, tuum!
» Ut solet, ardebat furibunda Fidora Fidorum,
» Russa genus, flammæ non patiensque suæ...
» Non potuit tectum benè dissimulare furorem,
» Exeruit sese dissimulatus amor.
» Munere consilium tandem mercatur anile,
» Tali conductam voce Fidora rogat :
» Orcipotens mater, tristis tibi paret Avernus,
» Carmine dum cantas, nigrum Acheronta moves.
» Dic quibus in terris nostri desertor amoris
» Improbus, aut quo sit lentus in orbe, refer;

» Quamvis Oceani superavit littora, ducas,
» Fac redimat mortem lassus ut ipse meam...;
» Respice semianimem, mater longæva, Fidoram,
» Quam certum est, si tu non miserere, mori.
» Cui respondet anus : Præstes modò munera matri,
» Quid possint artes experiere meas :
» En tuus affuerit tibi, me cantante, Fidorus,
» Quem tibi si rapuit Tartarus ipse, vomet.
» Conscius hunc aër, reddet tibi conscia tellus,
» Reddet delitias æquoris unda tuas.....
» Dùm portenta ferunt oculis ludibria nostris
» Nè, precor, attonitâ mente, Fidora, time;
» Præsentes animos retine, meditare Fidorum,
» Sit tibi cœlestis mentio nulla Dei.
» Confugis ad manes, ergò obliviscere Divos,
» Non est cùm superis infera juncta manus;
» Si Deus auxilium tulerit, revocabit Avernus,
» Si feret Orcus opem, mox Deus ipse negat...
» His dictis animavit anus scelerata Fidoram,
» His dictis, abiit, spe saturata, domum.
» Mergitur intereà renovandus in æquore Titan...,

. . . .

» Ergò suspirat, spe plena, Fidora maritum,
» Anxia promissam, dùm gemit, orat opem...
» Portat *anus* herbas admixtaque verba venenis,
» Promissâ veniens ut medeatur ope.
» Dæmonas alloquitur tenebrosæ noctis amicos,
» Larvarum videas murmura lenta sequi.
» Hispidus apparet caper; atro corpore villi
» Dependent longi, lumina sæva micant,
» Oraque scintillant, revomunt incendia nares,
» Ardua terribili cornua fronte patent...
» Alloquitur monstrum, veniendi causa rogatur.
» Pandit anus causam, talia verba refert :
» I, caper, i, velox, incertum missus in orbem,
» Dulce refer dorso, vector amoris, onus...
» Paruit extemplò, dominâ mandante, capellus,
» Bajulus obscœni ponderis exit equus.
» Intereà benè potus erat sub nocte Fidorus,
» Oblitus veteris tutus amoris erat,
» Et nova grata magis veteri successit amicæ,
» Igne recens prisco dulcior ignis adest...

» Excubat expectans imo sub limine custos,
» Supponens oneri dorsa pilosa suo.
» Vix pede signavit vestigia prima Fidorus,
» Corripit assurgens corpus inerme caper.
» Inscius hic ridet, verum ratus esse capellum,
» Casuque in dorsum se cecidisse putat.
» At quùm sub pedibus sylvas et flumina cernit,
» Tùm Stygium serò percipit esse pecus.
» Sub pedibus turres altique cacumina montis;
» Audax æthereum bellua sulcat iter.
» Ergò timet, tardum sequitur formido stuporem,
» Et pavor in terram desiliisse vetat.
» Continuò apparent noti fastigia tecti,
» In quo pervigilans usquè Fidora jacet.
» Mox reminiscitur obliti succensus amoris,
» Ad notæ positus limina nota domûs.
» Cætera quis nescit? nostræ reticete Camœnæ[1]! »

Notandi insuper extremi carminis versus, quibus Russos id habuisse moris indicat ut præficas mulieres, Romanorum ad instar, pretio conducerent, quæ defunctorum vicem funebribus deplorarent lamentis; itemque sacerdotem adirent, qui, pretio dato, litteras Beato Petro scriberet amissi parentis commendatitias, quibus adjuvantibus faciliùs ei pateat Paradisi janua, aut etiam epulas in cœmeteriis, recenter defuncti propè sepulcrum instaurarent, sperantes videlicet fore ut allatis cibis umbræ indulgerent.

Aliud opus, longissimum quidem et singulare, sed *Roxolaniæ* longè impar Acernus confecit. Huic titulus *Victoria Deorum* inscribitur ambitiosus quidem et rei quàm minimè conveniens, quùm epico more versuque heroïco satira conscribatur, in vitia Polonorum magnatum acerrima. *Victoriam Deorum* decem annis

1. Acerni *Roxolania* (Syrokomla, tomo VI, paginis CICVII ad CCII).

Acernus fovit, quam, polonicè primum compositam ac deindè in latinum sermonem versam, non quodam poëtico afflatu instinctus ad expressam virorum imaginem effinxit, verùm frigidè et ægrè quasi quamdam scholasticam de verâ nobilitate disputationem confecit. Indè mireris venustis interdùm versibus admixtas longissimas de philosophicis argutiolis quæstiunculas, congesta et confusa undiquè omnia, promiscuè additam querelis de nobilium pravitate effusis venereæ pestis, ethicæ, venationis piscatûsque descriptionem; sententias deniquè, interfusis paganarum fabularum sacrorumque librorum locis, sæpiùs dictitatas ideoque obsoletas: nempè eum essè nobilem virum qui probissimè vixerit, virum probum benè mori, virtute ac labore solis pari nobilitatem, aut cætera prædictis haud dissimilia.

Perlongum et mendosum opus, in optimates quidem et sacerdotes asperum, tædio tamen innoxium, sacerdotum errore innotuit; quippè qui, satiram malè ferentes, libellum flammis abolendum damnaverint et nè legeretur publicè prohibuerint. Quid enim, ut ipsi aïebant,

« Quid prœmî versibus tam dignis,
» Nisi carnifex et ignis? »

Major indè, ut fit, crevit Acerni fama, carminaque ejus de *Victoriâ Deorum*, sexto decimo sæculo, attentiùs exquisita fuêre, nunc autem penitùs oblivione mersa, nec immerito quidem.

Acerno lætum faciliusque interdùm ingenium fuit; versibus scribendis summa miraque alacritas, sermo ingenuus, lucidus, tardior nonnunquàm et elanguidior.

Si pauciora stylo severiore scripsisset, si sententias acuere versusque expolire curavisset, præcipuis sanè latinis poëtis, non in Poloniâ tantùm, sed etiam in Europâ adscriberetur[1] : nempè qui, ut poëtam decet, sycophantas oderit, paupertatem fortiter passus fuerit, Deum deniquè, patriam ac suos valdè dilexerit.

1. Versibus aliquando obsoletis dubiisve utitur : *scaturigine* (Roxolania, Syrokomla, t. VI, p. 148) ; *pertingit* (ibidem, loco citato) ; *gomphis* (ibid., VI, 154) ; brachia matris *adit* quercus novella, pro *attingit* (ibid., loco citato) ; terret *per* maledicta bovem (ibid., VI, 157) ; *craneis* (ibid., VI, 158) ; *dimobilis* (ibid., VI, 162) ; stupent *à* frigore membra (ibid., VI, 164) ; *evagula* (ibid., VI, 166) ; *cicuranda* et *hæducos* (ibid., VI, 167) ; *sudifico* (ibid., VI, 172) ; *incompensabile* (ibid., VI, 188) ; *Jovis* pro *Jupiter* (ibid., VI, 189) ; *probratimus* (ibid., VI, 197) ; *face* pro *fac* (ibid., VI, 201). Communia Janitio in componendis versibus vitia non effugit : nempè particulam *que* brevi syllabæ sæpissimè subjicit (Vide Roxolaniam, Syrokomlæ tomo VI, p. 159, 164, 172, 188, 191, etc.) ; syllabam brevem verbo anteponit cui prima inest littera *s*, alterâ insonâ sequente. (Vide Roxolaniam, Syrokomlæ tomo VI, p. 150, 177, 182, 188, 191, 192, etc.) ; breves syllabas aliquando etiam per cæsuram producit (Vide Roxolaniam, Syrokomlæ tomo VI) :

Advehitur dasy*pus*, et molliter hispida Martes... (p. 173) ;
Occurrit lupu*lus* aliis petulantior herbis... (p. 175).

Imo nonnumquàm verbis utiquè dissonis versus truncare et quasi quodammodo frangere videtur :

Neque sinunt sub se pascua flava tegi
(*Roxolania, Syrokomlæ*, tomo VI, p. 156 et 160.)

Disciplina vides ut fera corda domet (ibid., VI, 171) ;
Et quod *vituperat*, poscit emitque merum (ibid., VI, 178) ;
Macte, sacra Leontopolis, Marpesia rupes (ibid., VI, 185) ;
Antiquum *rudus* et lateres visuntur in arvis (ibid., VI, 189) ;
Quæ prætensa vitro sæcula longa *rident* (ibid., VI, 190).

V

Cochanovii et Acerni æmulus exstitit, ineunte septimo et decimo sæculo, Simon Simonides[1] Bendonski, Pindarus Latinus dictus cognomine, genere autem Armenius, Leopoli in Rutheniâ, A. D. MDLIII natus, patre divite et omnibus litterarum elegantiis exornato. A quo prima scientiarum elementa edoctus, adolescens in Academiâ Cracoviensi litteris se totum dedit, exemploque Cochanovii impellente, adeo profecit ut, post odam in D. Stanislai laudem compositam, primâ philosophicâ laureâ ornatus fuerit. Indè in Italiam profectus, Clavio, Vitellescio, Moreto, Molinâque magistris, felicissimum ingenium ita excoluit ut, post quatuor annos in patriam reversus, paucos sibi æquales, neminem autem eruditione præstantiorem habuerit. Quo perspecto, quùm, ope Gorscii in Academiâ Cracoviensi professoris, et regii theologi Socolovii, Thomæ Zamoscii, Regis Batorei Summi Ducis, librarius selectus fuerit, virum clarissimum, optimum et litterarum amantissimum ita devinctum sibi amicitiâ tenuit ut nusquam posteâ ab eo discesserit. Summis igitur beneficiis cumulatum et secretioribus consiliis solum advocatum Zamoscius Simonidem in aulâ principis insuper promovit, baltheoque equestri, cùm aliis virtute illustribus viris, ob egregias

1. Polonicè Szymonowicz.

animi dotes decorandum curavit, et paulo post lauro poëticâ à Clemente VIII, Pontifice Maximo, concessâ. Imo, tutorem filio suo decem annis nato moriens designavit Zamoscius Simonidem, quem sibi etiam Jacobus Sobiewski bonarum omnium artium eruditissimum simul et dilectissimum magistrum habuit. Quibus vero unicè delectatus et ambitione vacuus, felicem in lautâ Zamoscianâ bibliothecâ vitam peractam placidâ morte Simonides, annos LXXI natus, finivit.

Plurima ejus opera, et, quâdam Musarum singulari clementiâ, omnia servata non prorsùs corripiam, non extollam. Laudarem sanè facundum et insignem elato spiritu poëtam, nisi se perpetuum et, ut ita dicam, contumacem ostendisset imitatorem : laudativum enim carmen in summi Pontificis Clementis VIII honorem composuit, *Joël propheta* titulo insignitum et totum de Sacrâ Bibliâ sumptum; præceptivos exindè versus Thomæ Zamosci filio, *Herculis Prodicei* nomine, dedicatos et è Xenophonte, paucissimis mutatis, translatos; item antiquam de obitu *Penthesileæ* tragœdiam, quam ipsum Quintum Smyrnæum dictavisse credas; scenicam deniquè de *Casto Josepho* fabulam, ad imitationem Bibliæ et Euripidæi Hippolyti vicissim conscriptam.

In scenam primùm *Malum Dœmona*, pro sexti decimi sæculi more, prodire videas, ut in Euripide Venerem, latè porrecto imperio gestientem et malè ferentem quod solus sibi obstare Josephus audeat, Genium irâ et invidiâ parem Deæ, sermonis autem verè divinam gravitatem et concinnam brevitatem nequaquàm referen-

tem[1]. Ipse exindè Josephus, Hippolyti ad imitationem, famulis comitantibus, foràs egreditur, et, pauca de festis Ægyptiorum Numinum Judæorumque Deo præfatus, quo somnio sibi futura calamitas prænuntiata fuerit significat, quùm sibi in somnis, nivei cycni formâ indutâ, per aëra volitare visus fuerit, subitoque a cucullo (dictu ridiculum !) à tergo occupatus in sordidum detrudi carcerem. Quibus vero prædictis, se ad omnes rerum humanarum vices paratum profitetur, animumque Deo commendat, ut integer castusque degat ita precatus :

« Quid est? quid erit ? Eia, eia, anime, quid projicis
» Spem? quid fatiscis? Comprime anxitudinem :

1. Vide : *Simonis Simonidæ Bendonski Leopolitani Magni Jo. Zamoscii à secretioribus consiliis, Pindari Latini, opera omnia quæ reperiri potuerunt, olim sparsim edita, nunc in unum collecta ac denuo typis consignata, procurante Angelo Mariâ Durini, è Comitibus Modœtiæ, Patritio Mediolanensi, Archiepiscopo Ancyrano, per utramque Poloniam et Mag. Lith. Ducatum cùm facultatibus Legati a latere, nuntio apostolico; Varsoviæ, in typographiâ Mitzlerianâ*, 1772, in-4° — Castum Josephum, p. 14-16. — Confer autem cum Euripidæo Hippolyto (v. 1-57), præsertim cum sequentibus versibus :

« .... Ενεστι γὰρ δὴ κἀν Θεῶν γένει τόδε·
« Τιμώμενοι χαίρουσιν ἀνθρώπων ὕπο, κ. τ. λ. »

Ejusmodi autem prologum quo tota fabula prænarratur et Hippolytus, in Euripide, certa quodammodo Veneri devota victima, cæteris absistentibus Diis, ostenditur, jure quidem reprehensum (Vide : *Patin, Etudes sur les Tragiques grecs, tome III, p.* 43), in Simonide non æquè carpendum censeo, quùm Malus Dæmon Josepho non destinatam perniciem, paratas autem tantùm insidias minetur, et insuper contrà imminentem inferorum impetum consurgere videatur cœlitum turba, Josephum ab omni labe defensura.

» Vivit Dominus, ille Dominus vivit; sinè
» Cujus voluntate, pilus haud defluxerit
» Capiti tuo. Tun' immerenti tibi mala
» Dari? bonave benè promerenti dixeris?
» Plùsve autumes laboris impostum, solens
» Quàm ferre possis? do manus, do equidem manus,
» Domine : tuum imponere; subire esto, meum :
» Vel occideris; in te tamen fides mea :
» Tu servituti mancipâsti : tu ex sinu
» Patris, pusillum me abstulisti; sit tibi
» Laus, atque honor: tantùm juventæ sis memor,
» Ætatis impotentis atque improvidæ :
» Cùmque mala das, tolerantiam et constantiam
» Simul da : ero, aut non ero, moriar aut sospiter :
» Tibi moriar, tibi sospiter; sim, absim, tuus[1]. »

Quâ verè christianâ prece effusâ, statim chorus incipit et, Euripidæis versibus de verbo in verbum translatis, de Jempsare, Fætiferi uxore, lamentatur ignoto morbo laborante et intrà domum fixo et jam propè desperato animo latitante :

« Petra celebris est hic
» Quædam, vitrea dìs aqua, etc.[2]. »

Ipsa interim, nutrici innixa, apparet mulier, pallido vultu, fixis oculis, languida, irrequieta, mortemque vultu præferens, quam utrùm Phœdram an Jempsarem dicas, in dubio est. Exoritur indè maximè miserabilis sermo et antiquâ simplicitate lamentabilis nutricis cùm Jempsare (id est cum Phœdrâ) dialogus, quem de græco in quamlibet linguam conversum omnibus sæculis, omnibusque locis viri eruditi summâ admiratione rapti stupuerunt. Hoc scilicet benè de Musis Simonides me-

1. Simonidis Opera, etc. Castus Joseph, p. 21.
2. Vide Euripidis *Hippolytum*, V. 120-174.

ritus est, quod in æternum servandos colendosque versus fidè et non infeliciter ad Euripidis imitationem latino sermone expressit. Atticum tragicum nostrumque verè Græcum Racinium, moris licet aliquando tragœdiam impedientibus, totos tamen celerrimo loco agnoscas, quùm, nutricis et chori percontationibus victa, libidinis non jam potens, pudore frustrà reluctante, dilecti sibi penitùs juvenis, cujus amore ardet et perit, miserrima Jempsar nomen obliquo sermone ægra et cunctabunda tandem confiteri aggreditur :

« *Nutrix.*

» Hoc quoque tibi scias; vel mari asperiorem ego
» Te jam putâro, si mori cruda obstines,
» Teque Dominumque tuum, tuosque liberos
» Prodens; quibus plagosa mox aliqua imperet
» Noverca, miserosque miseris tractet modis;
» Vel servoli ipsi pessimè usquè insultitent;
» Vel iste, qui antè te potitur nunc domo
» Josippus.
» *Iempsar.* — Ach me!
» *Nutrix.* — Pungit hic te scilicet.
» *Iempsar.* — Perii, occidis me, mater, undiquè occidis;
» De juvene eo sit, obsecro, silentium.
» *Nutrix.* — Vide, ut sapis : sapiens tamen, deditâ operâ,
» Servare te tibi, tuisque negliges?
» *Iempsar.* — Amo liberos; sed jactor alio turbine.
» *Nutrix.* — Verùm tamen puras manus fers crimine.
» *Iempsar.* — Manus quidem puræ; ast animus ærumnam habet.
» *Nutrix.* — Nùm inimicus aliquis conscit in te aliquod malum?
» *Iempsar.* — Amicus excst, non volentem non volens.
» *Nutrix.* — Nùm Fœtifer Dominus facinus in te facit?
» *Iempsar.* — Utinam nè ego illum inveniar afficiens malè!
» *Nutrix.* — Quæ tandem ea est acerbitas, quæ urget mori?....
» *Iempsar.* — Quid quæso? quale hoc est, amare quod vocant?
» *Nutrix.* — Suavissimum et amarissimum, filia, malum.
» *Iempsar.* — Nos alteram tantùm hujus utimur vicem.
» *Nutrix.* — Eho! tibinè præter virum cognitus amor?

» *Iempsar.* — Nollem agnitum; sed rapimur æstu ingratiis.
» *Nutrix.* — Quis is? vel undè, crimine qui te appetit?
» *Iempsar.* — Cujatem eum tu dixeris juvenem exterum?
» *Nutrix.* — Nostrumnè Josippum?
» *Iempsar.* — Loquentem te audio;
» Non ipsa narro [1]....
» Porro odi et illas, quæ pudicæ, grandibus
» Verbis tenùs, sub corde celant pessimas
» Audacias : istæ, ô Domina Pontica Cypri,
» Quâ fronte tandem conjugum vultus sacros
» Contrà obtuentur? quomodo vel *complices* (?)
» Sceleris tenebras non pavent? atque angulos
» Ipsos domorum, fortè nè vocem duint?
» Hæc namque me, ô charæ, neci nunc mancipant;
» Ne unquàm virum meum inveniar urens notâ
» Infamiæ; neu filiis conflem nefas,
» Quos strenuos quando sinè scelere extuli;
» Juge hoc decus habeant diùque floreant
» Splendore mentis, gloriosi vel meam
» Vicem, nec ob matrem malè in vitâ audiant [2]! »

Simonidem adhùc, auspice Euripide, facundum et verè tragico afflatum spiritu quo magis laudo et admiror, eo magis dormitantem, imo aberrantem reprehendo simul ac doleo. Nempè, quùm audientium animos mœstitiâ et terrore captos ita teneat ut jam neminem

1. Vide Euripidis *Hippolytum*, V. 304-352. — Vide insuper nostri Racinii haud unquàm perituros versus (*Phèdre, acte I, scène III*).

2. Totos de Euripide assumptos versus nemo est qui non agnoscat :

« Μισῶ δὲ καὶ τὰς σώφρονας μὲν ἐν λόγοις,
» Λάθρα δὲ τλόμας οὐ καλὰς κεκτημένας.
» Αἳ πῶς ποτ, ὦ δέσποινα ποντία Κύπρι,
» Βλέπουσιν ἐς πρόσωπα τῶν ξυνευνετῶν ;
» Οὐδὲ σκότον φρίσσουσι τὸν ξυνεργάτην, κ. τ. λ. »

(Hippolytus, v. 414-431).

invenias qui miserrimæ Jempsari illacrimans fata non incuset aspera, eam vix feram tantâ voluptatis vi raptam, tantis procellis exagitatam, scholasticis de amoris naturâ et incrementis quæstiunculis indulgentem, et (quod pejus est), pernotis illis convitiis indecenter fœminas afficientem quæ meliùs Euripidæus Hippolytus, Phædri libidinem indignans, in vulgus jacet muliebre[1]. Graviora tamen carpenda sunt : Jempsarem enim postquàm miseratione quàm odio digniorem, Euripidis ad imitationem, finxit et æstum voluptatis silentio cohibentem morique obstinatam in scenam produxit, quis patiatur eamdem subito in pejus vergentem, omnique amisso pudicitiæ decore, palàm nutrici adstantibusque fœminis narrare quibus efflagitationibus Josephum bis terque adurgere non dubitaverit, quas repulsas turpiter tulerit, quibus precibus instare, quibus deniquè artibus abnuentem, si res poscat, perdere intendat? Hanc non jam ex Euripide, sed è Seneca totam arreptam, in facinus audacem, voluptate accensam, libidinis et iræ impotentem agnosco mulierem, plebeïam quidem et odio dignam, meretricem potiùs quàm uxorem[2].

1. Confer Simonidis Castum Josephum (p. 43 et 44) cum Euripidis Hippolyto (v. 612-644).

2. Vide acutissimum illud et verè atticum de utrâque Phædrâ Græcâ scilicet et Latinâ, judicium, quo, ut ita dicam, quantùm Græciâ Roma distet ostendi mihi videtur : « L'art grec avait donné » à Sénèque une Phèdre chaste et malheureuse, à laquelle les dieux » ont imposé un amour incestueux, mais qui oppose à cet amour » toutes les répugnances du sentiment moral, et n'est vaincue, à la » fin, que parce qu'elle est moins forte que les dieux. Dans la Phèdre » d'Euripide, l'amour est un poison versé dans son cœur par une » divinité ennemie. Dès qu'elle s'est sentie coupable, elle a essayé

Excusarem sanè Simonidem, si, re penitùs perspectâ, Jempsarem sibi constantem, seu Græcæ, seu Latinæ propiorem Phædræ finxisset; ambiguam vero et à seipsâ quasi discrepantem non possum quin alienam tragœdiâ censeam, auctore Flacco :

« ..... Servetur ad imum
» Qualis ab incœpto processerit, et sibi constet. »

De fabulæ autem conclusione quid dicam? Quùm nutrix primùm in scenam redeat apertè lacessitum ab Jempsare Josephum impudenter narratura; Fœtifer exindè ab uxore delusus de hominum perfido et ingrato

» de secouer le joug; mais, se voyant la plus faible, elle a pris la » résolution de mourir et d'emporter avec elle dans la tombe son » fatal secret. A la fin, poussée par sa nourrice, qui lui demande la » cause de ses souffrances, elle laisse entrevoir cet amour, mais » avec quel mélange délicat de pudeur et de passion! Elle aussi » parle de Pasiphaé, sa mère; mais, au lieu d'envier ses plaisirs » monstrueux, elle en parle avec pitié; elle avoue non pas qu'elle » a du plaisir à aimer, mais qu'elle souffre de la même fatalité » honteuse que Pasiphaé; elle songe bien plus à ce qu'elle perd » d'innocence et de vertu qu'au bonheur impur que lui donnerait » un amour partagé.

» Dans la pièce de Sénèque, Phèdre est combattue par sa nour- » rice; mais elle n'en est que plus opiniâtre; on ne la fait pas rougir » en la blâmant : on l'excite. Dans la pièce d'Euripide, la nourrice » transige; elle accorde qu'une faible femme ne peut tenir tête à » Vénus; mais Phèdre n'ose pas profiter de ce funeste secours : elle » rougit de se voir accusée. La Phèdre grecque, justifiée et presque » encouragée par sa nourrice, n'en persiste pas moins à mourir. » La Phèdre latine fait semblant de vouloir mourir, pour corrom- » pre la sienne; et celle-ci, en effet, y est si bien prise, qu'elle se » fait l'entremetteuse de ces malhonnêtes amours. Lequel des deux » poëtes a le mieux connu le cœur humain? Les deux Phèdres sont » vraies, je le veux bien; mais celle d'Euripide est une femme; » celle de Sénèque n'est qu'une prostituée. » (Nisard, *Etude sur les poëtes latins de la décadence*, 2e édition, Paris, Hachette, 1849, tome Ier, p. 121).

animo, philosophi more, disserat, et ipse deniquè Josephus in vincula, jubente Fœtifero, conjectus, cœlestique luce, si nuntio credimus, affulgens injuriam sibi illatam silentio patientiâque tramittat, miserationemque ab Jempsare in se totam convertat? Penultimum tantùm chorum notabo, scriptum equidem Claudiani ad imitationem, rei autem optimè accommodatum concinnoque stylo conditum :

« *Strophica.*

» Quùm mente me ab terris fero
» Et templa cœli lumine contueor,
» Vicibusque cuncta fixis
» Ire et redire cerno,
» Noctem cedere luci,
» Lucem nocte recondi,
» Canitiem ninguidæ
» Hiemis vere resolvi
» Et sertis florentibus
» Redimiri, frugibus
» Mactam æstatem deindè venire,
» Tandem autumnum pomis uvis-
» Que datis, hiemem revocare,
» Eumque jugem circulum
» Meare et remeare ;
» Curam Deos habere rerum
» Atque esse providentiam
» Agnosco, plena tranquillæ spei.

» *Antistrophica.*

» Mox deindè, ubi humanas vices
» Ludumque fortunæ ancipitem, et gradu
» Dubio revulsa fata
» Specto palàmque cerno ;
» Impunè ire nocentes,
» Virtutem malè plecti,
» Omnigenis pessimos
» Opibus præsidiisque

» Pollere insultareque
» Melioribus, neque
» Defensorem ullum esse bonorum;
» Magnum torporem mens sentit
» Mea; sub dubium propè, fixam
» Divûm vocans potentiam.
» Sed absit; potiùs nos
» Stultos puto, Deos quàm iniquos :
» Occulta multa sunt Dei
» Decreta ; nulla non justissima [1]. »

Simonidis *Penthesileam* ad Quinti Smyrnæi æmulationem, et non aptè quidem, compositam parvi facio; quùm pœnè tota arroganti Amazonidis sermone, Æneæ loquacissimi confabulationibus, nutricisque Astyanactis lamentis constet. Choros vulgaribus sententiis humilique sermone vix suprà dialogum eminere censeo. Andromachæ tamen questus de occiso Hectore, spemque de Astyanacte patris futuro ultore prorsùs laudo, licet Quinto Smyrnæo potiùs quam Simonidi locus ille sit adscribendus. Penthesileæ vero novissima momenta, sauciæ decentem ex equo lapsum, Achillisque minas et convitia subito in desiderium et lacrimas versa, quùm virginis à seipso occisæ formam stupeat simul et ardeat, Simonides quàm infeliciter, quàm longè ab homericâ Quinti Smyrnæi simplicitate expresserit, jam ex iis querelis quis dijudicet, quas, facie Amazonidis detectâ, Æacides effundit :

« . . . . o Virgo misera,
» Quæ te mala, inquit, mens, virorum in prælia
» Conjecit? Aptiùs fuisses inclyta
» Mater familias, et domum auxisses tuam [2]. »

1. Vide Simonidis Carmina : *Castum Josephum*, p. 195-198.
2. Vide Simonidis carmina : *Penthesileam*, p. 227.

Amore defunctæ bellatricis Achillem exarsisse, quis ex iis frigidissimis versibus unquàm intelligat?

Herculem Prodiceum commemorare sat erit, quùm in eo nihil inveniatur, quod non è Xenophonte sit arreptum, eleganti tamen carmine exornatum. Præstantissimum etiam in *Joël prophetâ* stylum laudo: Simonidem autem quî absolvam, quùm, Sacræ Bibliæ audacissimus interpres, sexcentis versibus brevissimum et sublimi ipsâ brevitate eximium prophetæ vaticinium reddiderit?

Fluens plerumquè Simonidi sermo, pulcherrimis similitudinibus egregiisque verborum figuris distinctus; aptè compositi latinèque sonantes versus: longiores tamen ambitus, sententiæ sæpiùs pernotæ, et præsertim nimiâ, ut dixi, imitatione referta carmina. Quæ vitia si quis meritis rependat, eruditum potiùs quam alto elatum spiritu virum dicat, non tàm re quàm verbis laudabilem et rhetorico potiùs quàm poëtico more carmina componentem[1].

1. Justum Lipsium, Simonidi amicum, de eo, sivè nimiâ deceptum indulgentiâ, sivè quâdam familiari blanditiâ amplificantem ea de Simonidis ingenio scripsisse miror: « Ego, mî Simonide, ut » de affectu dicam, pretium laborum meorum censeo à talibus » amari: id est à doctis, bonis, quorum inter apices te pono. Ut » fama mihi non docuerit (quam et hic habes), unum illud carmen » tuum in *Imagines Zamoscianæ Diœtæ* approbet; quod, ita me » Deus! eruditum, antiquum, suave est et numeros ac phrasim » Catulli ac veterum illorum habet. Macte! spondeo tibi paucos in » Europâ esse (et est ingens poëtarum copia, ut apum) paucos, » inquam, qui, meo quidem sensu, sic scribant. » (*Justi Lipsii Epistolæ*, ep. LVII, p. 56.)

VI

« *Poëtarum latinè scribentium ingentem, ut » apum, esse copiam,* » non immerito Justus Lipsius dictitabat. Quod in Poloniâ præcipuè verum est. Extremo enim sexto decimo sæculo, et septimo decimo ineunte, jam undiquè omnigenos omnimodo versus latinos scriptitantes in Poloniâ viros invenias, quibus licet indulgentes artibus et de omni re disserentes, quùm illo tempore ingenui viri indicium fuerit latinè loqui et scribere. Præcipuos nomine novisse sat est : philosophum scilicet Joannem à Glogow; theologum Opatowski; astronomum Copernic[1]; historicæ rei scriptores Cromer, Bielski et Sarnicki; legatos Hoziusz, Reszka et Solikowski; medicos Sixtum, Erasmum Leopoliensem, Zimmermann, Oczko et Strus; jurisconsultos Przyluski, Podkanski, Zawadzki, Tucholczyck; grammaticum Ursinum; mathematicum Broski; Maximum Ducem Zamoscium;

1. Carmen conscripsit, cui titulus : *Septem sidera*, septem odis compositum, septem strophas complexis. Quem sanè numerum, si Wisnievio credimus, non temerè Copernic sibi constituit, quùm docta antiquitas non plùs quam octo et quadraginta sidera novisset, additoque uno, stropharum numero siderum numerus adæquaretur. Carmine piissimo Christi vita narrabatur : primâ scilicet odâ referebantur prophetarum vaticinia; secundâ, Patriarcharum vota; tertiâ, Nativitas; quartâ, Magorum adoratio, et cætera in hunc modum.

præcipuè inclytum polonicis carminibus Zbylitowski, permultosque alios quos memorare tædeat.

Unus è tot poëtis segregandus est : nempè Sarbievius[1], Flaccus cognomine dictus Polonus ; nec immerito quidem, si lyrica Flacci carmina tantùm intelligas, omissis iis quibus maximè inclaruit, nulli imitabilibus satiris et epistolis.

Natus est Matthias Casimirus Sarbievius A. D. MDVC, in gentilitiâ Sarbieviorum villâ, in Masoviæ Ducatu, Palatinatu Plocensi, patre equestri et matre Anastasiâ Milewskâ, illustri gente exortâ. Post absoluta feliciter in Pultoviensi gymnasio[2] puerilia studia, Societati Jesu nomen dedit, vix septimum et decimum ætatis annum ingressus. Vilnam missus in tirocinio biennium exegit, St. Kotskæ, consanguineo suo ac virtute insigni æmulatus. Philosophicum deindè curriculum emensus, in Academiâ Vilnensi docendi munere per aliquot annos perfunctus est. Theologicis studiis jam maturus Romam petiit, atque ibi, post multa itineris incommoda, rapto à latronibus propè Bambergam viatico, socioque mortuo, pervenit. In Urbe summâ gratiâ merito exceptus, non solùm theologiæ, pro Societatis more, sed etiam poësi, proprio ingenio impellente, studuit atque adeo inclaruit ut breviter poëseos professor habitus fuerit et ea quæ Vilnæ *de acuto et arguto* anteà docuerat, Romæ per Augustum et Septembrem prælegerit, summâ plaudentium Romanorum frequentiâ. Antiquis insu-

1. Polonicè Sarbiewski.
2. Polonicè Pultusk.

per monumentis, signis ac numismatibus pervisendis maximam curam adhibuit, ducente ipsum Alexandro Donato, opusque instituit *de Diis gentium*, quod posteà quatuor in libros distinctum perfecit. Summo Pontifici Urbano VIII ob insignem Odarum præstantiam carissimus et ab eo poëticâ laureâ aureoque numismate donatus, idemque designatus est qui Breviarium expoliendum curaret, hymnisque quibusdam castigandis et ad justos numeros revocandis, vel novis etiam componendis præesset: Paschalis enim hymnus *Ad regias agni dapes* non alium quàm Sarbievium nostrum emendatorem habet.

In Poloniam exindè, conclusis post quintum annum theologicis studiis, reversus, Vilnæ rhetoricam posteàque theologiam docuit, singularemque in se Ladislai VI benevolentiam ita meritus est ut, quùm, eo præsente, theologiæ doctor inauguraretur, detractum annulum rex ejus digito ipse inseruerit. Imo Sarbievium paulo post elegit, qui sibi à sacris esset concionibus; quo in munere, licet aulæ vitia liberrimè carperet, aulicis tamen acceptus esse non desiit, principique adeo carus, ut eum itinerum suorum omnium et sæpè etiam venationum socium sibi voluerit Ladislaus. Eodem comite, Thermas Badenses profectus est, ubi ille tùm in pangendis novis carminibus, tùm in Lechiade suâ perpolindâ[1], otium et operam collocavit. Ætatis annum non plùs quàm quintum et quadragesimum quùm nondùm complevisset, A. D. MDCXL obiit, omnibus ob insi-

1. Epicum carmen, *Lechias*, à Sarbievio summâ curâ conscriptum atque ipsi clàm ereptum, etiam nunc desideratur.

gnem pietatem, animi comitatem ingeniique præstantiam desiderandus.

Carminibus pœnè unicè indulsit, quæ pro tempore, nunc ob accepta munera patronis suis gratias acturus, nunc Europæ principes ad recuperandam Græciam adhortatus, nunc in Christi vel Beatæ Virginis Mariæ laudes effusus, nunc autem de philosophicis quæstiunculis poëticè disserens, summâ curâ summâque animi voluptate scriptitare solebat. Flacco quantùm æmulari studuerit, jam ex ipsis numeris, stylo atque argumentis carminum statim quis agnoscat[1]. Sermonem autem latinè quodammodo sapidum ac redolentem ut adipisceretur, nihil inexpertum, nihil intentatum reliquit : quùm in latinorum poëtarum concilio, ut ita dicam, quotidiè versaretur, familiaris Nasoni, Flacco Maronique factus sodalis : aïunt enim in Drohicensi Patrum Societatis Jesu domo repertum Virgilium cujus in calce ab ipso Sarbievio notatum erat quoties unumquemque poëtarum perlegisset : Virgilium sexagies, cæteros decies et ampliùs à se perlectos esse testabatur. Quod ei adeo feliciter cessit ut sibi integræ latinitatis succum et quasi quemdam florem arripuerit, et is extiterit quem, ob insuperabilem sermonis elegan-

1. Quod uno exemplo comprobare liceat : nempè carmine in D. Virginem Matrem sæculari (lib. II, odâ XVIII), quo Beatæ Mariæ laudes iisdem metris, eodem versuum numero celebrare instituit, quo et Flaccus Apollinem Dianamque (Vide Carminum libro I, odâ XVIII). Utitur plerumquè strophis alcaïcis, seu saphicis, sive asclepiadeis, item asclepiadeis cum dactylicis glyconicis, aliquando etiam ïambicis trimetris cum dimetris conjunctis, quocunque vero venustissimè.

tiam et sinceritatem, numerorum venustatem omnique labe carentem suavitatem, præstantissimis latinorum carminum auctoribus, Sannazario, Politiano et Santolio æquiparandum ac pœnè antiquis poëtis adscribendum aptus et æquus judex censeat. Jam nulla in eo carpenda dubia vel obsoleta verba, jam nullus quod aures offendat syllabarum concursus; nulla dissona aut malè conjuncta invenias. Hoc tantùm asperior quis reprehendat quod aliquando, pro sæculi more, delicatioribus aut diminutivis verbis, aut etiam argutiolis indulgeat, suî nimiùm curiosus et blandulis illecebris potiùs quàm ingenuâ orationis formâ captus.

Quod autem ad rem attinet, eum non altiùs evolare doleo. Ladislao vel Urbano VIII, gentive Barberinæ gratias agentem nihili facio, quùm sententiis pernotis utatur et singulari verborum venustate inanes et rerum inopes versus vix adornare valeat. Sinceriorem eum et majore spiritu elatum versus condidisse patet, compositis in honorem Christi aut Beatæ Virginis carminibus, quùm Dei amore penitùs captus et quasi inflammatus arderet. Hunc tamen velim de tantis mysteriis scribentem majore animo esse et eas nunquàm argutiolas affectare quas ab Italis *concetti* dictas sæpius è Societate Jesu auctores coluêre. Placeret utiquè paganas fabulas christianis precibus non misceri, Olympumque, ut sæpè fit, Paradiso; Beatæ Mariæ Magdalenæ cruci innixæ « *teneras frontis nives roseosque vultus* » non commemorari[1], sacrive Canticorum Cantici sublimem

1. Vide Lyricorum, libro III, odam II; libro II, odâ XXV, sacrum Salomonis epithalamium.

spiritum in argutas acutasque blanditias non delabi. Sarbievium tamen aliquando veteribus Polonorum usum cantilenis, sacra carmina pulcherrima condidisse fateor, quorum unum hic afferre liceat :

« Diva per latas celebrata terras
» Cœlibi Numen genuisse partu,
» Mater et Virgo, genialis olim
» Libera noxæ :
» Dulcè ridentem populis Puellum
» Prome formosis, bona Mater, ulnis.
» Expiaturum populos manu de-
» mitte Puellum.
» Apta dùm nostris venit hora votis,
» Supplices audi, meliore mentes
» Erudi voto! sociâ Puellum
» Voce precamur.
» Integram nobis sinè labe vitam,
» Prosperam nobis sinè clade mortem,
» Christe, stellatasque, Maria, Divûm
» Annue sedes.
» Numinis natam tibi crede prolem,
» Qui pius credi cupis! Ille multis
» Pressus ærumnis populos ab imo
» Eruit Orco.
» Ille non unquàm pereuntis ævi
» Scripsit hæredes et inobsequentis
» Præsidem leti cohibet severæ
» Lege catenæ :
» Ausus indignum tolerare letum,
» Sontis Adami memor. Ille necdum
» Prævius ductor penetrârat alti
» Limina cœli,
» Donec informi Deus è sepulcro
» Prodiit victor : benè jam supremo
» Assides, Adam, solio perennis
» Hospes *Olympi*.
» Nos tuam plebem sobolemque sanctis
» Adleges campis, ubi regna Divûm
» Gaudii torrens et inundat almi
» Flumen amoris.

» Saucium nobis latus, et cruentas
» Ille plantarum manuumque plagas
» Sustinet : nobis medicos latus de-
» stillat in imbres, etc. [1]. »

Odas philosophicas sacris carminibus antepono, quæ videlicet simpliciore stylo et prudentibus sententiis insignes, totum Flaccum interdùm spirare mihi videntur. Documento sit hæc, inter multas alias, oda, ad Publium Memmium conscripta, quâ vitæ humanæ brevitatem benefactis extendendam esse demonstrat :

« Quæ tegit canas modo bruma valles,
» Sole vicinos jaculante montes,
» Deteget rursum. Tibi quùm nivosæ
» Bruma senectæ
» In caput seris cecidit pruinis,
» Decidet nunquàm. Cita fugit ætas,
» Fugit Autumnus : fugient propinqui
» Tempora veris.
» At tibi frigus, capitique cani
» Semper hærebunt : neque multa nardus,
» Nec parùm gratum repetita dement
» Serta colorem.
» Una quem nobis dederat Juventus,
» Una te nobis rapiet Senectus.
» Sed potes, Publî, geminare magnâ
» Nomina famâ.
» Quem sui raptum gemuêre cives,
» Hic diù vixit. Sibi quisque Famam
» Scribat hæredem : rapiunt avaræ
» Cætera Lunæ [2]. »

Præcipuum autem in celebrandis Poloniæ victoriis cladibusve deplorandis Sarbievium invenias, quem, patriæ studio flagrantem propellendæ Turcarum bar-

1. Sarbievii carminum libro IV, odâ 222.
2. Vide Sarbievii Carminum Libro II, odam II.

baræ colluviei Græciæque liberandæ cupido invasit. Subditas Othomanis Athenas continuo lamentatur et principes Europæ precatur ut, positis discordiis, ad sacrum bellum unanimes se convertant. Quâ autem vi, quàm elato spiritu, quo poëtico afflatu occupatas sæpiùs Turcarum exercitu Poloniæ fines civibus suis denuntiaverit, nemo est qui non miretur. Sic incipit :

« Æterna labes, nec reparabile,
» Polone, damnum, Poloniam Getas
» Impunè vastare, et dolendas
» Ponè Tyram numerare prædas.
» Eheu pudendum ! Threïcii canes
» Egêre præ se popularium
» Armenta damarum, paternis
» Non iterùm reditura lustris.
» Pars impudicis vendita Thracibus :
» Pars Tauricanos jussa sequi Scythas,
» Eheu ! Gelonorum Polonis
» Strata canum caluêre nuptis !
» Manus latronum ruris et oppidì
» Ignara, nostras irruit (heu pudor !)
» Urbes, quibus pellita raptas
» Plaustra vehunt revehuntque gazas.
» Neglecta quondam sic pecorum lupi
» Armenta vastant ; quæ neque pervigil
» Servat magister, nec fideli
» Cura canum comitata gressu.
» Quantum Gelono pectoris addimus,
» Si versa turpi terga damus Scythæ,
» Jam pœnè laturo probrosas
» Civibus Imperioque leges !
» Heu rumpe somnos, et vigiles age,
» Polone, curas, nec revocabili
» Diffide Fortunæ, aut fugaci
» Anteveni tua fata tergo.
» Tibi refuso, nunc age, sanguine
» Pulchri Gelonus nominis eluat
» Labem, et colonorum cruentis
» Damna riget lacrymosa rivis.

» Surgemus? An nos distinet aurea
» Mensæ supellex? quos manet (heu dolor!)
» Hæc mensa convivas? is auro
» Nempè bibat cui dulce ferrum est.
» Nervum recusis in pretium scyphis
» Bello paremus. Quæ malè per vias
» Sparsit platearum, tuendis
» Hæc eadem neget arca muris?
» Hæc munerati nos potioribus
» Servemus ausis. Pectora non priùs
» Quàm vulnerantur scuta: frustrà
» Exanimem tegit umbo dextram.
» Me prisca lactat fabula, crescere
» Per ipsa Lechum damna. Sed heu! recens
» Nè me repellat Fama, Lechum
» Damna suis cumulare damnis[1]. »

Exstincto Sarbievio exstinctam etiam Latino-Polonicam poësim videas: etenim eo tempore, cùm in cæteris Europæ partibus, tùm in Poloniâ, *macaronicis* primùm carminibus, ac deinceps operibus unâ linguâ compositis, crevêre gentilitii scriptores, mox perpolito et amplificato nativo sermone eam laudem adepturi quâ nunc exornati nullum jam nisi inter eruditos latinæ linguæ reliquum dant locum. Multi quidem, septimo decimo atque etiam ineunte octavo decimo sæculo, exstitêre latinorum carminum auctores, Societate Jesu magna pars orti, nempè Ines, Ustrzychi et cæteri quos nè referam quidem, atque ipse Skorski, A. D. MDCCXLV, versibus latinis carmen heroïcum Lechicum edere non dubitavit: verùm inter tot viros

1. Carminum Sarbievii libro IV, vide odam V. — De Sarbievio plura non edisseram, quùm opera ejus, vicies edita, in promptu sint, et tota quidem digna quæ legantur.

poëtam invenies nullum, qui, jam imminentibus Poloniæ fatis, antiquas Musas omine felici coluerit.

VII

Latino-Polonicæ poësis fata jam penitùs absolvi. Duodecimo natam sæculo christianæque fidei strictè conjunctam commemoravi, quæ, postquàm per obstantes paganos civiliumque bellorum procellas lentissimè et rudibus quidem atque incomptis poëtis creverit, tùm demùm per aperta emensa, patriæ modo labantis solatricem, modo florentis ornatricem se ostendit. Quinto decimo deniquè et sexto decimo sæculis, vigentem laudavi, quùm Janitius elegos Tibulli more scriberet, Acernus Russiæ Georgica componeret, Simonides tragœdiæ antiquæ miracula redderet, atque Sarbievius ipsi Flacco non infeliciter æmularetur. Cujus quidem carmina suprema et, ut ita dicam, Latino-Polonicæ poësis cycnea vox licet esse videantur, quùm Polona lingua jam Latinæ undiquè substituatur, tamen in ipso nativi sermonis flore quamdam inveniri et laudari censeo antiquæ, seu Græcæ, seu Latinæ venustatis umbram. Quis enim Græcarum Musarum discipulum non dicat Micievicium illum, Poloniæ laborantis studiosissimum defensorem, versibus iis quibus modo juventutem polonicam in ultionem parentum crescere hortatur, modo, carmine exulibus

dicato, patriæ resurgentis futura fata redivivamque, ut ita dicam, gloriam prænuntiat? Quas preces, quæ vota benignè Deus accipiat! Quidquid verò acciderit, hoc saltem, vel in ipsâ Poloniæ ruinâ, Polonos poëtas, seu nativâ linguâ, sivè latinâ scribentes exemplo suo ostendisse certum est, gentem Polonicam, ut ipsa sibi vindicat, mores, ingenuarum artium cultum, litterarum laudem ingeniique comitatem à Româ et Occidente arripuisse, quibus defensa, vim patientiâ superat et, sumptis ex ipsâ clade viribus, quoties oppressa et fracta jacet, toties in Turcicam Moschamve barbariem indignans resurgit et invicta.

Non tamen me fallit inter Polonos diutinam haberi de recentiori latinâ poësi controversiam, quùm alii suscitatos et illustratos latinis Musis civium animos, alii contrà in pejus versos asseverent. Nonnullos enim historicæ rei scriptores invenias qui doleant tot egregios poëtas totam ingenii vim ad id contulisse ut antiquâ linguâ fictitiisque carminibus obsoletos mores et paganas fabulas renovare aggrederentur. Quam quidem ego sententiam, si latino-polonicam poësim solam specto, asperiorem censeo: Polonis enim non malè cessit carmina primùm latinâ linguâ composuisse, quùm eâ ita vulgo in Poloniâ uteretur, ut jam, quemadmodùm suprà dixi, non optimates tantùm, sed et fœminæ ingenuæ ipsique ex infimâ plebe servi familiariter inter se latinè colloquerentur. Latino-Polonicam poësim graviter tamen fero diutiùs excultam et, sexti decimi sæculi usquè ad finem, imo septimo decimo ineunte, præstantes facundiâ viros eximiosque poëtas

à nativi sermonis studio deterrentem; quùm Polonia jamdudùm florentissimis gentibus adscriberetur et hoc tantùm necesse sibi haberet ut romani fori disputationibus indulgere antiquarumque civitatum vestigiis insistere desineret, intestinis autem discordiis ac civilibus bellis, quibus periit, finem imponeret, recentioremque rei publicæ gerendæ modum et novos mores usurparet. Quod quidem aliter cessit, tùm propter indomitam frangique nesciam Polonorum equitum indolem, tùm, ut opinor, ob nimiam antiquitatis imitationem ab eruditis viris et præsertim Societate Jesu diutiùs productam.

Neque id Poloniæ proprium, sed toti Europæ commune censeo, temporibus iis quibus renatæ dicuntur litteræ. Non quod negem latinæ poësis studium litterarum et politioris vitæ incrementis, longè post eversum Romanum imperium, non parùm profuisse. Quis enim ignorat, medii ævi sæculis, servatam in monasteriis, unà cum antiquarum Musarum monumentis, illam qualemcunque latini sermonis umbram et ingenuarum artium refota semina, quæ rursùm in flores fructusque, ut ita dicam, dato tempore crescerent? Quis nescit id latinæ linguæ deberi quod, dùm Europæ populi, alii aliorum ignari ideoque invicem infensi, perpetuis dissidiis bellisque laborarent, unum tamen vinculum superfuit quo docti tenerentur, unaque exculta est lingua quâ communem omnes catholicam fidem gentes profiterentur? Iis enim sæculis quæ à Carolo Magno usquè ad Beatum Ludovicum effluxerunt, qualis fuerit Europæ facies si quis diligentiùs exquirat,

innumeris quidem principatibus divisos et quasi fractos populos agnoscat, in quamdam tamen christianam Rempublicam, Romæ non modo recentioris sed etiam antiquæ alumnam, coalescentes, ita ut scriptores Italos, Gallos, Germanos, Britannos nullos nisi humiles aliquot popularium carminum auctores inveniat, latini verò plurimi antè oculos obversentur. His crevisse auspiciis, his magistris educatam esse Europam, dùm pueritiâ, ut ita dicam, teneretur, non modo non doleo, sed etiam gaudeo. Verùm, ubi jam adulta vires sibi proprias adesse ingeniumque ad majora erigi sensit, degenerâsse et, quod pejùs est, litteris nocuisse mihi videtur diutiùs arctiùsque servatum latinæ non solùm poësis, sed etiam linguæ studium. Nempè, tertio et decimo sæculo, quùm, debellatis Othomanis ac pœnè subactis magnatibus, regna in latum porrecta plurimas provincias communi ditione jam tenerent, tùm subito nativam linguam coli non infeliciter videas, nativo sermone opera componi, puerilia quidem aliquando, sæpiùs tamen ingenuâ quâdam et candidâ simplicitate insignia; quin etiam exstrui illa verè divina templa, antiquæ artis monumentis tantùm præstantia quantùm dissimilia. Quæ quùm ita essent, latinæ linguæ jam unicè locus non erat, quæ utinam, ut optimus magister, discipulo in virum crescente, recesserit! Aliter tamen evenisse pernotum. Factum est enim ut, quùm catholicam fidem plurimi Europæ populi deseruerint et, novâ fide jubente, sermone vulgari sacri ritus celebrati, imo sacri libri recitati sint, catholicis contrà gentibus à pontifice romano et præsertim Societate Jes

latinæ linguæ studium eo magis fuerit commendatum, nativæ autem pœnè damnatum. Quid autem, quod, iisdem ferè temporibus, pulsis Byzantio Græcis repertisque typis, græcarum latinarumque Musarum miracula in clariorem lucem edita sunt, quibus perlectis jam nihil nisi antiquum doctus quisque vir spiraret? Tunc non solùm latinè scribere, ut anteà, id est res novas antiquis verbis significare, et quâdam universâ linguâ latinâ loqui usitatum, sed etiam verè latini poëtæ undiquè renati, qui paganam Romam totam in lucem revocare aggrederentur et se redivivos Nasones, Propertios, Flaccos Maronesque recentiorum Mœcenatum aut Cæsarum in aulis degentes fingere imo et credere non dubitarent.

Quintum decimum sextumque decimum sæcula latinis scriptoribus et poëtis felicia præcipuè notanda sunt, quos non solùm apud gentes latino sanguine ortas, sed et totâ Europâ, quoad humanitatis sensus perferebatur, ipso sub Arcto atque in *terrarum ultimâ Thule*, florentes invenias. Præstantissimos illo tempore genuerunt Italia et Polonia vates, latinam scilicet linguam illa naturâ, hæc industriâ edocta. De Polonis equidem satis superque edisserui, quos pro meritis vel carpere vel laudare aggressus sum. Italos autem cœteris antehabendos censeo, quùm, latinæ elegantiæ quasi scripti hæredes, nativam cœli temperiem et clementiam carminibus reddere videantur. Jam, renascentibus vixdùm litteris, Italicorum poëtarum princeps, ipse Dantes latinarum musarum studiosissimum se discipulum professus erat, et Petrarcha, non propter italica illa haud

unquàm peritura carmina quæ *canzone* dicuntur, sed ob latinum poëma cui titulus *Africa*, lauru poëticâ Capitolio donatus erat; imo carminibus ad imitationem antiquorum factis magis quàm iis quæ nativo sermone composuerat, gestire solebat. Sed quùm, auspice Medicorum gente, jam in alteras Athenas versa esset Florentia, tùm subito, propter Arni ripas, marmoreis in villis palatiisque omnium artium miraculis insignibus, poëtarum confertum, ut ita dicam, agmen exstitit, qui latinæ poësi unicè studerent. Longè ornatissimum omnium Politianum didacticis aut epigrammatibus præcipuè valentem nemo est qui poëtis Augusti tempore vigentibus apto versuum sono, latini sermonis flore et acutâ sententiarum elegantiâ parem, ut ipsum Sarbievium, non ducat: cui sanè nihil obtrectandum censeo, nisi quod nec asperè reprehendi nec vehementer collaudari meretur et rebus sæpè futilibus indulget [1] aut pro viribus majora molitur, nempè Hesiodi

1. De Poliatini ingenio et operibus, vide acutissimum illud idemque, ut mihi videtur, verissimum judicium : « ... A force de » goût, Politien était naturalisé romain du temps d'Auguste. Ses » vers, on ne les distinguait pas de la poésie de Virgile; ils en ont » le tour libre, le mouvement et l'harmonie. Une passion s'y fait » sentir, et leur donne le naturel. Cette passion, c'est l'amour des » lettres porté au point d'être lui-même une poésie. Mais, on le » sent, une telle source est peu féconde. Le Dante, c'est tout un » monde, c'est le monde moderne; il a ouvert un trésor de poésie » nouvelle, toute une religion, toute une société. Les images de Po- » litien, bien qu'elles lui soient données par une réminiscence si » vive qu'elle vaut la réalité, ne mènent à rien et s'épuisent bien- » tôt. Nous ne sommes plus assez classiques pour être ravis de ses » vers. Nous cherchons quelques traits de mœurs sous ce costume » de poëte païen. « *Mæoniam urbem,* » la ville d'Homère. Florence, » pleine de Grecs fugitifs et d'admirateurs de la Grèce antique,

operibus Maronisque simul Georgicis ausus æmulari.

Neapolis Florentiam mox, ut adsolet, imitata Latinam Academiam, auspice Pontano, condidit, quâ docti viri carminibus latinis componendis præcipuè studuerunt atque hoc insuper sibi quasi proposuerunt, ut nihil vel in naturâ, vel in artibus latinis numeris intentatum indictumve linquerent. Joannes Jovianus Pontanus inter sodales, propter acutum ingenium, summoperè eminuit, et, in difficillimo omnium genere, hymnis nempè et didacticis, stylum latinè sonantem, venustum et concinnum, aliquando tamen exquisitiorem et ab omni ambitu verborum non utiquè alienum adhibuit.

Quid verò de clarissimo ejus sodali dicam, Sannazario scilicet, qui herculè! recentiorum poëtarum latinè scribentium princeps haberetur, nisi se perpetuum et nimium imitatorem ostendisset? Præcipuum ejus opus, epicum *de Partu Virginis* carmen nemo est qui, ob insignem versuum præstantiam et verè Virgilianum numerum non collaudet; sed eo graviùs ferendum est virum tanto poëtico ingenio præditum propriis viribus nunquàm evolavisse et, in tam admirabili tamque novo scribendi proposito, paganarum Musarum alumnos quasi ad calcem secutum esse, neque quamdam divini illius spiritûs particulam suscepisse, quâ suscitatus Sacram Bibliam in carmen transtulit Miltonius. Inter cætera Sannazarii opera, notandæ inprimis, ut mihi videtur, eclogæ, stylo quidem personis aptè congruenti

» était devenue, pour ses savants, la ville d'Homère.» (Villemain, *Tableau de la littérature au moyen âge*, tome II, page 282.)

et græcâ venustate commendabiles, eo tamen vitiosæ quod, partim Theocriti, partim Maronis ad imitationem compositæ, dispares diversorum temporum mores eodem carmine concludunt.

Nec Vidam omittam, virum sanè audacem, qui, post scriptas ab Aristotele et Flacco artis poëticæ leges, idem opus aggredi non dubitaverit exemplaque præceptis addere tentaverit, Horatianum illud consilium oblitus :

« Et versate diù quid ferre recusent,
» Quid valeant humeri. »

Placet equidem leniter profluens oratio et quæ latinè sapit versuum elegantia. Quod vero ad rem attinet, nihil novi, nihil alti invenias : Flacci scilicet et Quinliliani de poëtâ vel oratore informando præcepta undiquè collecta longioribusque figuris repetita et quasi diffusa, quæ probum quemdam verborum artificem efficiant, poëtam autem neutiquàm. Didactica Vidæ opera sive *de bombycibus*, sive *de latrunculorum ludo* vix commemoranda censeo, pueriliter videlicet præstantia, ipsumque epicum *de Chisti vitâ et morte* carmen tantis *rerum*, ut ita dicam, *lacrimis* longè impar, locis tamen ob insignem versuum suavitatem, candorem ubertatemque collaudandum.

Septimo decimo sæculo ineunte, poëtas in Italiâ latinè scribentes paucos et nullos nisi ignobiles reperire est. In Galliâ vero Latinorum auctorum vel poëmatibus, vel solutâ oratione componentium non copiam invenias, sed turbam, licet nativæ linguæ decus jam summum haberetur. Paschieri, Thuani, Sanctæ Marthæ, Bezæ

et Mureti exemplis usus bonus quisque vir hoc illo tempore præcipuum dare ingenuitatis signum putabat, si latinè scribere se doctum palàm profiteretur. Balzacius carmina edidit latina et latinas Vossio scripsit epistolas; Salmasio Maresius, Hensio Morisius. Quin, ipso Ludovico XIV regnante, nihil de theologiâ, medicinâ, jurisprudentiâ, et, ut omnia uno verbo complectar, de scientiis paulo doctius scribebatur nisi latinè, ita ut Cartesii opera pleraque latinâ linguâ composita sint atque, octavo decimo sæculo ineunte, Rollinus se excusaverit ob editum vulgari linguâ *de studiis* opus. Poëtæ autem latini quot et quanti! Racinius, dum Portu Regio adolescentulus degebat, Virgilio æmulari propriâ linguâ cœpit; Cornelius, anno MDCLXVII, latinum poëma de bello Flandrico cum multo legentium plausu confecit; Arverniæ comitia Flechierius latinè celebravit; imo ipse Bolæus, epigrammatibus latinis vix scholâ egressus condendis studuit, qui latinæ poësi bello seriùs indicto acerrimo, adversarios tamen versibus latinis pupugit.

Sed illi quidem gallicis operibus pernoti. Poëtas autem multos alios invenias, latinis musis unicè deditos, seu in gymnasiis pueros docerent, sivè poësi spontè indulgerent, quorum alteri *superioris*, alteri *inferioris* Latii incolæ sunt dictitati. Præcipui habentur Ruæus, Perierus, Rapinus, Vanierius et Santolius. Rapini quidem *de Hortis* carmen probè compositum et per æquas partes aptè distinctum commendant insuper concinnus sermo, versuum elegantia et sincera licet paùlo frigidior venustas. Vanierii *Prædium Rusticum* potius

habeo, poëtico afflatu eximium, numerorumque præstantiâ insigne, cui tamen nocent in longius spatium producti libri XVI atque insuper Georgicorum memoria. Santolii autem hymnos ferè totos admiratione dignos Ecclesia sibi vindicat, nec immeritò, quùm pœnè omnes ex antiquis carminibus arrepti sint, numeris tantùm justioribus verbisque magis convenientibus refecti.

Hoc ipso septimo decimo sæculo, jam non in Galliâ tantùm, sed et in Britanniâ Germaniâque latinam poësim florentem vigentemque videas. Apud Britannos, Miltonius et Newtonius, apud Germanos Leibnitius latinis versibus condendis diù et summo quidem studio navaverunt operam. Quin et in Germaniâ, sacerdos quidam è Societate Jesu, nomine Masenius, præstantissimum carmen quinque libris de hominis peccato et redemptione composuit, cui titulus inscribitur *Sarcothea* et à quo Miltonius opus suum dictus est arripuisse.

Latinæ tamen poësis jam fata properabant, quùm eruditus quisque didacticum carmen latinè scribere studeret, poëtico afflatu nullum, Musisque nociturum potiùs quam profuturum : de aviariis videlicet, vel de malis aureis, de cafœo, de thiâ sinensi, de gallinâ, de papilionibus , de aquâ piceâ : quæ pueros sanè meliùs quàm viros et poëtas decuissent ! Nequidquam ille audax novarum rerum magister Voltarius adolescentulus epigrammata latina conscripsit ; nequidquam cardinalis Melchior de Polignac elegantissimum sed tædiosum perlongumque composuit opus *Anti-Lucre-*

tium, quo tota Epicuri doctrina philosophico more exponitur et confutatur ; nequidquam pertinax antiqui Parnassi pontifex et verè *Romanorum ultimus* Desbillons, octavo et decimo sæculo, inter gallicè scribentes auctores pœnè universos, latino sermone uti non dubitavit atque fabulas ad Phædri imitationem, defuncto Fontano, edere, sacrilegâ quâdam audaciâ, tentavit. Poësim obsoletam et à moribus omninò dissonam nemo jam fuit qui coleret, nisi in puerilibus gymnasiorum exercitationibus. Nec mirum : quùm id recentioribus sæculis peculiare sit et proprium ut ex omni re non quid amœnum tantùm sed quid utile appetatur et hæc brevi deseratur litterarum provincia quæ ad eruditos tantùm spectat nec populo universo seu incitando sivè edocendo profutura videtur.

Hæc autem Latinarum Musarum monumenta omnia intuenti mihi nescio quid incutitur dulce et acerbum simul desiderium. Nempè me juvat servatum per tot sæcula antiquitatis decus, quâ magistrâ excussum illud, quo languebat Europa, diuturnum ignorantiæ veternum barbarique quondam populi nunc in gentes orbis terrarum reginas conversi. Mox vero, ubi succurrit animo tantum tot insignium poëtarum ingenium novissimis sæculis huic operi unicè deditum ut apud christianos paganas fabulas, apud Gallos Germanosve aut Britannos romanos mores renovarent, non possum quin doleam malè perditos labores, malè impensas inopportuno incœpto vires, quas utinam promovendis nativis litteris meliùs contulissent ! Quorum exemplo, ut omnia uno verbo complectar, manifestè

apparet id quod frequenter dictitatum sæpiùs tamen memoriâ aboletur, scilicet in arte fictitiis vera sinceraque semper præstare, nec quidquam populo posterisque placere posse nisi quod ex ipsâ naturâ sit expressum.

Vidi ac perlegi,

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbonâ, A. D. III, cal. Maii, ann. MDCCCLXIX.

Facultatis Litterarum in Academiâ Parisiensi Decanus.

PATIN.

Vu et permis d'imprimer,

Le Vice-Recteur de l'Académie de Paris,

A. MOURIER.

IMPRIMERIE L. TOINON ET Ce, A SAINT-GERMAIN.